PETRI MOLINÆI
P. F.

Y.5.62

ΠΑΡΕΡΓΑ.

POEMATUM
LIBELLI TRES.

I. Hymni in Symbolum Apostolorum.
II. Ecclesiæ Gemitus.
III. Sylva Variorum.

Me verò primum DIVINÆ ante omnia Musa,
Quarum sacra fero ingenti perculsus amore,
Accipiant, Cœlique vias & sidera monstrent.

CANTABRIGIÆ,
Excudebat Joann. Hayes, Celeberrimæ Academiæ
Typographus. M. DC. LXX.
Impensis Joannis Creed, Bibliopolæ Cant.

126.03

Illustrissimo Viro

D. *ROBERTO BOYLEO*,

Honoratissimi RICARDI

Primi Corcagiæ *Comitis*

Filio.

Recolenti mihi memoriâ, Vir Illustrissime, annos illos quum in amœno secessu, convictu tuo & virtutis tuæ consuetudine me beavit Deus, verè pronuntiare licet eos ætatis meæ dies mihi candidissimos atque lætissimos illuxisse Cùm amicitiâ, quâ me quantumvis imparem provocare & tibi adjungere placuit, nihil vel ad eruditionem efficacius, vel ad virtutem exstimulantius, vel ad honorem præclarius, mihi cœlitus indulgeri potuerit. Quare non abs re vereor nè dum tantum beneficium tuum agnosco, non tam grati animi debitum persolvere, quàm existimationi meæ

videar inſervire. Quod quidem ſi publicâ iſtâ nuncupatione ſategero, omnes delicti mei participes habuero qui ad te accedunt. Accedunt verò & ad ſapientiæ tuæ oraculum frequentes commeant omnes qui bonas artes elaborando, & eruditionis theſaurum locupletando, ſed magis etiam conſuetudine tuâ cupiunt inclareſcere. Eos ego infra poſitus tantùm ſuſpicio, contentus quos ingenio aſſequi nequeo laudibus proſequi. Cùm verò nulla literaturæ pars extra eruditionis tuæ pomœrium poſſit evagari, patere quæſo etiam huic poëtico labori liberum aperiri apud te angulum. Cui ſanè poſtulationi ut te facilem fore mihimet ſpondeam, tria faciunt. Unum eſt quòd ſeveriora ſtudia poëtico melle delenire tibi non eſt inſolens, & in carmine ita excellis, ut niſi excelſiores in te dotes eminerent, ad id unum natus poſſis exiſtimari. Alterum eſt quòd horum poëmatum nonnulla jamdudum in manibus habuiſti, approbâſti, & cum iis familiaritatem inire non aſpernatus es. Potiſſimum eſt quòd cùm ingenii & eruditionis tuæ ſublimitatem immenſum quantum excedat tua erga Deum pietas, & in capaciſſimæ mentis arce regina ſedeat, non poterunt tibi non placere piæ ad Deum aſpirationes,

tiones, quas tutemet poëtico ſpiritu altiùs atque feliciùs attolli non ſemel apud me profeſſus es, expertus apud expertum; adjectis hortamentis, quæ mihi ſunt mandatorum loco, ut iſtam aream ſeriò tererem. Quod igitur ex tua adhortatione tentatum fuit apud te, Vir Illuſtriſſime, depono; tuum tuo jure totum. Neque juri tuo, quæ tua eſt humanitas, quidquam decedere putabis, quòd in ſingulorum libellorum fronte primariæ eruditionis & pietatis viros compello; quorum amicitiæ memoriam cupio cum iſto opuſculo mihi ſuperſtitem. Jam provectæ ſenectutis homo, ab omnibus mihi pridem notis ſemotus, oblecto me in mea eremo clariſſimorum virorum memoriâ quibuſcum neceſſitudo mihi interceſſit; eóſque in mea pagina, quia aliter non datur, mecum habeo, & abſentes alloquor. Quo in numero cui plùs debeam quàm tibi (Noſtri ſeculi decus) novi neminem; Memor quàm ingenuo, quàm conſtanti amore me dignatus ſis, & quid pretii amori tuo conciliet & dignitas tua, & virtus Orbi notiſſima, Deo gratiſſima. Deum (quod unum poteſt gratus animus meus rependere) precibus obnixis ſollicito, ut qui te mirabili ingenio & rerum humana-

rum atque divinarum cognitione supra gradus ante te celsissimos evexit, altiorémque etiam fecit pietate atque modestiâ; idem primaria sua in te dona, lætissimâ inter homines felicitate, & æternâ demum gloriâ secum coronet. Vale.

POE-

POEMATUM

Libellus Primus.

HYMNI XIII.

In

SYMBOLUM

Apostolorum.

PSAL. 119. vers. 54.

זְמִירוֹת הָיוּ־לִי חֻקֶּיךָ
בְּבֵית מְגוּרָי

CANTABRIGIÆ,
Excudebat JOANN. HAYES, Celeberrimæ
Academiæ Typographus.
Impensis *Joann. Creed*, Bibliopolæ *Cant.* 1670.

ANte triennium Hymnos istos cum præfixa Epistola miseram ad Celeberrimum Bochartum, necessarium meum suavissimum. Ille perlectis schedis, sive ex judicio, sive ex amore, me instantissimè & satìs pro imperio adhortatus est ut & carmen & Epistolam ederem; quámq; publica ista necessitudinis & amicitiæ nostræ testificatio sibi esset cordi exaggeratiùs significavit. Virum maximis operibus nobilem, cui vasta rerum atque linguarum cognitio, & mira in difficultatibus enodandis εὐστοχία, peperit qualem justissima fama dare potest immortalitatem, subita mors ipsi felix, nobis acerba, meliori immortalitati transcripsit. Multis ille quidem flebilis occidit, Nulli flebilior quàm mihi *ejus* συντρόφῳ, *& propemodum* ἡλικιώτῃ, *qui incomparabilem cognatam sanguinis legem excedente amoris vinculo complectebar, & cœlo receptum etiam amplector. Nolui charissimi capitis mandatis contra ire; Neque istius dedicationis quod expectavit debito me ipsius obitu exsolutum existimavi.*

Viro

Viro Nobiliſsimo & vere Magno

Samueli Bocharto

Amitino ſuo conjunctiſsimo,

Petrus Molinæus

S. P. D.

Tigeſimus agitur annus, Vir Celeberrime & amiciſsime, ex quo hymnos iſtos inchoavi, in agreſtiſsimis Brigantum rupibus & ſinuoſis convallibus agens, quæ horrore venerabili aptiſsimum ad ſacras cogitationes ſeceſſum præbebant, & ipsâ locorum facie carminum Genium excitantem. Sed vix quinque Hymnos abſolveram, quum me negotiorum turba à Poetico otio & amica Muſis ſede in tumultuoſam ſcenam protraxit. Et ut aliud ex alio incommodum naſci amat, exceperunt

perunt me longo ordine plurima adversa, & actuosæ vitæ labor, inter quæ longa fuit carminum oblivio, quæ secessum scribentis & otia quærunt. Jam frigebat versificandi Genius, quum ad horrendam illam Anglicanam defectionem quæ tot monstra peperit sacrâ irâ Poesis incaluit, & versum sponte fecit indignatio. Ubi verò cum rerum facie ira illa paulùm detumuit, deferbuit quoque poeticus ardor, & melioribus occupationibus, sæpe etiam sequioribus avocamentis locum dedit. Tandem aliquid temporis subcisivi nactus in amœni prædioli otio, quod longis procellis jactato divina mihi concessit indulgentia, cœpi de Hymnis meis recogitare, & sic mecum reputare; Non posse me sine aliqua in Deum injuria. cui quicquid hoc est poetici genii & me ipsum debeo, sacrum istum conatum abjicere, Ætatem meam ingravescere, Noctem imminere in qua nemo operari potest; Et ut longiùs mors absit, brevi impetum istum frigore senectutis intermoriturum; Quod quamvis mihi non fuerit gravissimum, nec me cum Flacco turpem senectam degere *putaverim si* citharâ carentem, *me tamen summâ operâ niti debere ut antequam hæ scintillæ evanescerent, illis uterer ad accendendum in hominum pectoribus amorem*

rem Dei, qui ſanè legitimus eſt & primitivus Poeſeos uſus: Neque aliud ſunt Moſis, Davidis, & Salomonis, antiquiſſimorum Poetarum Hymni quàm ſacra ἐξωτικά. Cúmq; ità ſint comparati noſtri ævi homines, maximè verò populares noſtri, ut nullam θεώρησιν quantumvis utilem, niſi inſuper blanda ſit, in animos ſuos deſcendere patiantur, non malè de hoc ſeculo merebitur qui Dei Opt. Max. laudes, & doctrinam ſalutis, illâ amœnitate veſtiet, quæ rebus divinis in delicati palati ingenia promptum & mollem aditum conciliet. Quod quidem carmine aſſequi eſt opus non obvii moliminis; Videtur enim ſeveritas materiæ poetæ alas intervellere, & impetum coercere; cùm præſertim fictioni parùm indulgeat, quæ eſt vel præcipuum Poeſeos opus, unde & illi nomen. Eam qui Poetæ adimit non patitur eum plenis velis in altum provehi. Sanè minimè mihi mirum ſit Poetas qui argumenta à pietate alienа ſibi delegerunt, pronuntiare ſanctitate materiæ liberum poeticarum alarum remigium inhiberi. Ego verò etiam adjuvari autumo, & ſi dicere fas eſt, experior. Compeſcit quidem iſta ſanctitas licentioſam illam Poetarum evagationem; ſed dum vetat impetum latiùs excurrere, docet eum altiùs exurgere, & quod latitudini minus.

tùtudini adimit ſublimitate compenſat. Quàm feliciter Religionis myſteria Poeſeos melle condiverim uſus probabit. Equidem voti damnatus fuero, ſi hinc bonæ mentes ad Dei amorem & laudem erigantur; Et Poeſim à veteri ſtudii inutilis *probro, quo eam* Naſonis *pater onerat, vindicavero. Atque eo nomine aliquid Magni* Salmaſii *memoriæ debuero, qui quinque priores hymnos recenſuit & ſcribenti animos addidit. Tu quoque ſermonum noſtrorum candide Judex, pro eo quod poſsides in Rep. literariâ imperio, de his tentamentis pronuntia. Quis enim quid carmen ſapiat rectiùs judicaverit quàm* Bochartus, *qui in re poetica eminet uſque ad miraculum, quémque ingentem omnis eruditionis arbitrum noſtrum ævum agnoſcit, & ventura ſecula venerabuntur? Qui igitur mihi adoleſcenti adoleſcens præcepto & exemplo præiviſti, idem fac ſenex ſeni, & mihi ubi erraverim commonſtra. Atque id tuâ maximè intereſt, nè ſi quid ſequioris notæ te annuente foràs emittam tibi imputetur. At ſi tibi hoc poema ità probatur ut me mihi credere audeas, fortè alia addentur ut fiat juſtum volumen, eáq; à pietate non aliena. Quam ut tuear facile patiar minùs Poeta quàm Chriſtianus audire, ſatìs felix (atque utinam tam felix)*

ſi

si Domini mei gloriam promovero. Quanquam videri possim gloriolæ meæ appetentior, qui hos conatus patrocinio tuo palàm commendem, unde mea cum tanto viro & sanguinis & consuetudinis conjunctio latiùs innotescit. At sanè jure meo utor quando necessitudine nostrâ & summâ tuâ benevolentiâ me orno, cùm cuique liceat sua sibi vendicare & ad usus suos convertere. Tulit superiore seculo familia nostra Illustrem illum CAROLUM MOLINÆUM: *Ut alia antiquiora & recentiora decora prætream, Illustrem* SAMUELEM BOCHARTUM *nostro ævo tulit, cui plùs & paterni & materni atavi debent quàm ipse illis. Vale generis nostri decus, & patriæ bonos, méque tui amantissimum redama.*

Errata ſic corrigito.

Lib.1. Pag. 6. lin. 16. lege fatiſcentum. *p.12. l.5.* cœnum. *p.16. l.29.* imperIs. *p.20. l.19.* Sic fato. *p. 28. l. 13.* Iæváque. *p. 35. l. 27.* apellas. *p.37. l.5.* Devoluêre. *p.51. l.18.* Calthâque *Lib.2. Epiſt. Lethori. p.5. l.20.* ſuggillaretur. *p.13. l.33.* reiciunt. *p. 18. l.7.* reiciat. *p.19. l.4.* nodo nectit. *p.21. l.15.* Imbecilli. *p.36. l.16.* diſcip'lum. *p.45. l.18.* fulvo. *Lib.3. p.1. l.3.* defetiſcentes. *p.46. l.5.* meus. *p. 47. l. 17.* vinclis. *p. 59. l. 9.* merens. *p. 81. l. 13.* Caliciſque. *p. 84. l.4.* fluctus. *p.93. l.6.* conopea. *p.95. l.12.* Mendacis. *p.97. l.2.* caſſibus. *p. 136. In Aurelii Jobum. l. 7.* ipſe Deus ſancta.

IN SYMBOLUM Apostolorum HYMNI XIII.

HYMNUS I.

Credo in Deum.

SUmme Pater rerum, solio qui celsus Olympi,
Magna super pavidas figis vestigia terras;
Gloria cui capiti, rutilant cui vestibus ignes,
Et circum æternæ radiant tentoria lucis.
Ecce tibi ambabus Pax & Constantia palmis
Hinc atque hinc diadema levant, placidúmque tribunal
Justitia & stabili firmat Clementia fulcro.
At procul Angelici subsellia sacra Senatûs
Te sanctum celebrant; Geniorum albata corona
Stat venerans, trepidísque obtendit vultibus alas:
Omnibus unus amor, quo te per secula læti
Ter sanctum ingeminant, exercituúmque potentem,
Et laudum integrant non enarrabile carmen.
Hei mihi quòd regnum lucis faciémque verendam
Densa tegunt subter glomerato nubila fumo,

Nec jubar æternum noſtræ caliginis umbram
Diſſipat, & nubem tantùm diſcriminat ignis.
Qualis in obducta nebularum nocte micantes
Stricturas furtim inſinuat lux aurea Phœbi,
Raráque de rupto ſunduntur lumina nimbo.
At bene conſultum miſeris generíque caduco
Quòd lateat, & totum lippis non explicat orbem;
Nec ſubit impuros oculos puriſſimus ardor:
Ni lateat, carnem immundam mentéſque nocentes
Quippe voret rapidus, ſtipuláſque abſumat inanes.
Sic ubi terrificæ petîit ſpectacula lucis,
Diſtulit Omnipotens Moſem, renuítque benignus;
Obtexítque manu magna ſub rupe latentem,
Dum Majeſtatis non aſpectabile lumen
Tranſiret, dextráque Dei Patriarcha reductâ
Auguſtum averſæ vidit cervicis honorem.
Scilicet immenſam mentem, cauſáſque priores
Conſilii æterni nè mens finita capeſſat:
Poſteriora patent, divíſque effectibus uſo
Fas homini ſpectare Bonum, Juſtúmque, Potentémque.
Apparétque operum divina Eſſentia tergo.
At quæ pauca ſui tranſmittit lumina Numen,
(Vix heu! vix miſerorum interlucentia nocti)
Credere nos non ſcire docent; nam ſedula rerum
Aggreditur frontem, ſpectátque Scientia cauſas,
Impar nôſſe Deum, rerum qui maxima cauſa,
Principium finíſque ſui; neſcítque catenis
Cauſarum æternam compingere Majeſtatem.
Sed quo curta nequit ratione Scientia fulta,
Alma Fides ſummi ſcandit penetralia Templi;
Luſca oculos, ſed firma manus; quæ pauca videre,
Plura tenere valet, robuſtáque brachia cœlo
Injiciens, oculos tanto in fulgore modeſtos
Connivet, ſentire Deum quàm cernere malens.
Illam non Ratio, ſancti ſed ſemina verbi
Progenerant, tacitóque accendit fomite Numen.
Nos igitur tali mentem inſpirante magiſtra
Credimus eſſe Deum, totum qui Maximus E S S E

Poſſidet

Poſſidet, & ſeipſo ſeſe ditiſſimus implet;
Quem nihil eſt extra, qui nil aliunde requirit,
Unde fluunt quæcunque vigent, quo deinde recurrunt,
Immenſum pelagus fundíque & littoris expers.
Olli ſumma quies, quam nec labor improbus urget,
Nec violat ſolidam rerum Inconſtantia Pacem,
Sed movet immoto quæ condidit omnia nutu,
Nunquam ſollicitâ diſponens ſingula curâ,
Nec rerum implexus numero, nec pondere preſſus.
Huic nec Tempus edax, motûs menſura caduci,
Imminet immotæ menti, nec falce minatur:
Dúmque jubet magno ſeſe volventia Mundo
Tempora continuo ſibimet ſuccedere lapſu,
Ipſe ſuum æternus puncto complectitur ævum,
Felix ſimpliciter, quem non bona multa beârunt,
Nec ſibi multiplici nectit virtute coronam,
Una placet; ſimplex illi ſubſtantia Virtus,
Virtutéſque Deo cunctæ conflantur in unam.
Ille quidem ſeſe diſtinguit hypoſtaſe trina,
Non triplici; Pater eſt Sermóque & Spiritus unum,
Nempe vigent & Poſſe & Nôſſe & Velle ſub uno;
Térque ſibi æqualis ſemel eſt Immenſus & Idem.
Quò feror alta petens? hìc feſſas complicat alas
Celſa Fides nimiùm, nullâſque in carmina vires
Addit, & ex alto ſe tempeſtiva reducit;
Quò malè ceratis Ratio temeraria pennis
Sæpe volans turpem paſſa eſt ambuſta ruinam.
Atque utinam parcant docti infelicibus auſis,
Decretum æternum mortali pendere libra,
Quodque latet latuiſſe velint; Eccleſia nempe
Hinc gemit, & lacera ſordet mœſtiſſima palla,
Quòd parcit jam nemo Deo, nec ſufficit ulli
Nôſſe quod humano comprenditur intellectu.
Indè caput morbi, finis præſaga propinqui
Cana Fides fugiens effœtum deſerit Orbem;
Credere non volumus ſed cernere: fracta ſigilla
Codicis æterni, ſolus nè ſolveret Agnus,
Proh facinus! doctóſque libet, non eſſe fideles.

Nec ſubit excordes animos, incedere viſu
Qui properat non poſſe fide, quæ ſola ſalutis
Præmia fert ; & *ſcire* nefas quod *credere* fas eſt.
O quondam Omnipotens aliquam demittat Olympo
Magnam animam, certas Rationi figere metas
Quæ valeat, proprióque Fidem deſcribere regno,
Quódque jacet medium communi jure gubernet.
Nè Ratio vetitas effræna irrumpat in oras,
Sed venerans miretur, & accerſita miniſtret;
Néve oblita ſui, Rationis libera regna
Relligione premat, miſcens civilia ſacris,
Jam non pura Fides, naſcenti conſcia typho.
Sed nè dira Fidem fluxæ contagio carnis,
Aut falsùm blandi flectat pellacia Mundi,
Sanctorúmve madens cæſis cervicibus enſis,
Tu Pater infirmam cœleſtis róbore dextræ
Aſſiduus firma : da dextrâ ſupplice dextram
Tangere, da Fidei non unquam amittere clavum.
Heu ſatis errorum ! væ longùm in turbine nigro
Hæreſeon ſcopulos, æruminarúmque procellas
Vixdum eluctamur, rabidi ludibria Ponti.
Sed licèt uſque furant effuſi carcere venti,
Et conjurati ſævis cum fluctibus imbres,
Auſtrorum Pelagíque minis agitata carina
Ire nequit peſſum dum credimus : arbiter auræ
Intus adeſt vigilem carpens in turbine ſomnum.
Cúmque Fidem undarum multo firmaverit uſu,
Proferet os pelago ſacrum, verbóque fugabit
Nubila, ſubſident fluctus, & ſibilus Euri
Voce Dei magnâ conterritus obmutefcet.
Quondam etiam fragili carnis compage ſolutâ,
Aut quum ſupremos Tellus conceperit ignes,
In priſcum ruitura Chaos, tunc libera cœlo
Tollet colla Fides, animos addente ruinâ.
Illa quidem nomen felici morte reponet,
Non acres animos, & de vivace favillâ
Surget Amor, propriósque rogum convertet in ignes;
Et Chriſto æternùm pedamans ardebit amante.

Hæc igitur precibus jamjam cœlóque Deóque
Injiciat violenta manus; ſit mater Amoris
Serváque, nec pigeat meliori aſſurgere proli.
Spiritus alme Deus, dulci qui lampade corda
Verus Amor torres, & confers cuſpide vitam,
Carne graves animos divinâ punge ſagittâ;
Subde faces Fidei, fac ſancto ſpiret Amore
Dum viget, & moriens hæredem ſcribat Amorem.

Hymnus II.

Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ.

Euge Deum, pia corda Deum celebrate Parentem,
Ingenitum, fontémque sui, qui singula Verbo
Fecit, & influxu magni sustentat Amoris.
Qui sedet aurato lucis trabeatus amictu,
Et lateri augusto flammatum accingitur ensem,
Tutantem oppressos, debellantémque rebelles.
En Deus aura tum levibus dans lora quadrigis
Nimborum vehitur rutilo sublimis in axe,
Fulmineísque rotis latè concussus Olympus
Ingeminat crebros diris mugitibus ignes.
Ergò hominum quatit ossa tremor, stant vertice crines,
Et gelidus currit per membra rigentia sudor,
Ad vocem Cœli horrisonam, quo magna tonante
Æthra ruit, Pontúsque vadis exterritus imis
Æstuat, & gremium Tellus tremebunda reducit.
Euge Deum Natura gemens rerúmque fatiscentum
Ipse pavor celebret, exultemúsque tremendo.
Æquora cum sonitu plangant ad littora laudes,
Laudes Terra parens cæcis tonet ima cavernis;
Flumina longinquo gentes obeuntia tractu
Lætificent laudum mirantes murmure ripas:
Túque cavis laudes spira pulmonibus, Eure,
Inter adorantes submisso vertice sylvas,
Et sata certatim molli assurgentia fluctu;
Auritásque jube modulos addiscere cautes.
At laudum attonitis exceptans artubus auras
Omne pecus mugitu & multiplici balatu
Acceptas referant: tu squamea turba sub undis

Laud

Laude Dei fremito, pinnas arrecta micantes,
Cúmque modos nequeas, numeros servare memento.
Et nemorum querulis mulcens garritibus umbras
Picta cohors sacros argutula dividat hymnos.
Vos gravidæ nubes, vos magni tela Tonantis,
Fulmina, grando, nives, flammæque ad jussa paratæ,
Obsequio laudate Deum, Dominique coruscet
Multus honos nimbis, & læto fulguret igne.
Vos meliùs puras purissima corpora laudes
Pangite, collisi miris concentibus Orbes
Astriferi, varióque modos misceto meatu.
Secula venturis tacitè cedentia seclis,
Nox Luci, noctíque dies celebrate Tonantis
Perpetuo annorum crescentes ordine laudes.
Túque adeo, tu viva Dei viventis imago,
Præfecte Orbis Homo, cui Terra & Pontus & Aer
Latáque stellati famulatur regia Cœli;
Ecquid servitio Naturam, ingrate, perenni
Nequicquam premis ingentem? túne cuncta superbus
Accipies reddésque nihil? solúsne creata
Omnia ad Authorem per te nitentia fraudas?
Parce, nec injustus redeuntem intercipe Mundum;
Te mentem agnoscit, te solam hæc machina linguam;
Hæc quoties meritæ solvis præconia laudis,
Mente Deum linguáque colit; te tota silente
Bruta silet, frustráque viam molitur Olympo:
Qualiter Harmonico doctè compósita cerebro
Musica charta silet, si vox modulamine prompta
Defuerit, vel charta lyræ consulta canoræ.
Eia hominis mens sacra, choros imitator ovantes
Spirituum, liquidis mulcent qui vocibus aulam
Sideream ingentem, & Cœli Terræque Parenti,
Pro Cœlo & Terra, pro seminibus mirandis
Perfectorum operum, pro sancti robore regni,
Mirificas pangunt divino carmine grates:
Dicite Cœlicolûm linguæ venerabile Mundi
Principium; quænam facies primordia rerum
Anteivit, nullum cùm tempora nulla per Orbem,

Nec mensurandi gliscebant tempore motus,
Et nulla in nullo fulgebant sidera cœlo,
Nullus ubique locus, complendus corpore nullo.
Nec nihilum tamen illud erat; Deus omnia solus,
Ipse sui plenus, divinum implebat amorem
Amplexu proprio, & semet contentus agebat.
Ast ubi collibuit divam exercere potestatem,
Omnipotens utero magni depromptit inanis
Materiam incultam, informem, quæ tota profundâ
Diluvie & pigris horrebat mersa tenebris,
Pondus iners, brutúmque Chaos, quo condita rerum
Semina sub lento torpebant frigida limo:
Vita tamen fuberat, crescentísque embryo Mundi
Naturam tacitâ primùm conceperat aurâ.
Nam sacer ingentes motabat Spiritus alas
Gurgitis in facie, fœcundo pectore grandi
Incumbens massæ Mundúmque fovebat in ovo.
Qualiter ante alias Jovæ dilecta volucres
Incubitu puro mollis fovet ova columba,
Spem sobolis, pernóxque sedens, vi pectoris almâ
Pullitiem niveis excludit sedula conchis.
Ergò ubi fructificâ fotum virtute Parentis
Intepuit, formáque Chaos maturuit ingens;
Ecce Deus sacro sermone silentia rupit,
Magnifico inclamans tonitru, *Lux esto*; repentè
Lux micuit, fulsítque rosis Aurora novellis.
Illa fuit sine Sole dies; ter nóxque diésque
Alternas vertére vices sine munere Phœbi.
Sol erat ipse Deus, qui natam ab Numine lucem
Æternùm agnosci voluit, Mundíque verendum
Auspicium, rerúmque Deo quæ proxima fulget.
At magnùm enitens utero Natura madente
Prodiit, atque undas Opifex secrevit ab undis.
Nam partem ætherii solidatam fornice Templi
Omnipotens vitreos latè cuneavit in arcus,
Partem aliam pelagi jussit discludier alveo,
Et medium ambabus se pondere firmamentum.
Tum coalere solum, & terrâ concrescere limus

Cœpi

Cœpit. & oſtendit calvos ſine gramine colles
Cœlo aſtris vacuo; mox ſylvas juſſa comantes
Fudit humus foliis herbíſque recentibus halans,
Et florum vario circum ſe ſudit amictu.
Nec mora, maturâ ſparſit cunabula fruge
Naturæ infantis, primo quæ grandis in ortu
Tempora pomiferis cinxit naſcentia ſertis,
Quáque die nata eſt frontem exporrexit adultam.
Continuò puris maduerunt gramina rivis,
Et nova per lætas trepidè labentia valles
Ipſa ſibi pronum ſignârunt flumina callem.
Jámque tener tremulis vix fidens greſſibus Eurus
Blandulus innocuos agitabat in æquore luſus,
Primuláque intactas criſpabant flamina lymphas.
Hæc ubi facta, Deus ſparſæ per inania lucis
Semina vivificum Phœbi compegit in orbem.
Emicat ille alacer, rerum pulcherrima Cœlo
Ora ferens, ardens oculos, curſúque decoram
Cæſariem jactans, auróque inſignis & oſtro.
Quem vitæ Genium, divæ quem lucis ocellum
Suſpicit, & calidum prægnans Natura maritum.
Qui flammeis invectus equis immania Cœli
Pervolitat ſpatia, & duodena per aſtra volutus,
Alternas luci tenebras, brumámque calori
Continuam, certum rapit irrequietus in orbem.
Mox Lunam & ſtellas, nigræ ſolamina Noctis
Magna manus ſtatuit, nativo lumine plura
Vivida, pauca almi radiis obnoxia Solis,
Nocturnum exhilarans gemmato emblemate Cœlum.
Diſcrevítque locis, & condidit orbibus orbes.
Quin ego lora premo, caligantéſque profundo
Aſpectu demitto oculos, terráſque reviſo?
Ut volucres primas tepefactæ effuderit undæ
Humida vis: ſtupuêre novis concentibus alni
Riparum, & raris ſonuerunt plauſibus auræ.
At genus æquoreum, phocæque & grandia cete,
Quíque alii tranant cryſtalla liquentia piſces,
Undai in gremio ſubiti crevere parentis.

Continuò

Continuò ruptâ pecudes tellure creatæ
In vacuum venêre ſolum, quo primula tutis
Gramina cum bubus placidi carpsêre leones,
Permiſtáſque ovibus pavit Concordia tigres.
Deerat adhuc cui ſe lauto domus ampla paratu
Subjiceret, & cum famulis fabrefacta ſupellex;
Cujus ope optatis Mundus ſe ſolveret ingens.
Laudibus, Authori vinclo ſociatus amoris,
Gauderétque ſui magnam cognoſcere cauſam.
Ecce Deus magnum ſibimet conſultor, inivit
Conſilium; Faciamus, ait, qui mente verenda
Nos referat præclarum Hominem; premat ille potente
Imperio brutúmque pecus trepidáſque volucres,
Regnator latè, liquidíque animantia Ponti.
Dixit, & argillam dextrâ pollente ſubactam
Eſſe Hominem juſſit, Mundi grave complementum,
Materiem ſupplevit opus, nam Conditor almus
Condidit effigiem divinam in paupere limo.
Hinc amor Archetypi, celsóque admota Parenti
Cognitio, compóſque ſui, ſed recta voluntas;
Præteritíque ſimul memor & præſaga futuri
Provida mens, ſacróque ſedens Reverentia vultu,
Quadrupedum volucrúmque timor, Mundíque poteſtas
Proxima ſupremæ, formidatúſque character.
Singula finierat, ſolio quum pronus ab alto
Rex Superûm placido luſtravit lumine Mundum,
Arte fruens propriâ, ſibimet mirabilis Author.
Non ille immenſo rerum molimine fractus
Exactum projecit opus, factóque receſſit;
Mirificúmve globum divinâ mente peregit,
Ut foret inſano quicum fortuna rotatu
Luderet: Ipſe Deus qui fecit ſingula, factis
Imperat, & manuum tractat monimenta ſuarum,
Non numero, non ille morâ, non mole fatiſcens.
Strenua nempe quies vaſto inviolata labore,
Semper agit, proprio ſuſpendit pondere Terram
Ætheris in medio; pelagi quatit humida fræna,
Comprimit inſtabiles objectu littoris undas,

Et

Et mensurato celeres sufflamine ventos
Flare jubet, pluviæ claudit reserátque recessus,
Suscitat alipedes Lucis, Noctísque veredos
Circumagit, certis obliquat flexibus annum,
Ut servet sua signa sator, sua sydera messor,
Æstatísque parem Phœbi secet orbita brumam.
Ergò laborantem magnâ vi sustinet Orbem
Dextra Dei, reparans constante propagine damna
Implacidæ Mortis; sibi mortua bruta superstant,
Floréque, stirpésque, & decidui mortales;
Officio sobolis; vivacia semina surgunt,
Nulla suum mentita genus, quæ fœdere certo
Et Cœli tepor atque soli tener educat humor.
Aspice convexo latè fulgentia Cœlo
Sidera, prægnantes fœcundo nectare nimbos,
Terrai spatia ingentis, campósque liquentes,
Quas laxo Natura sinu pulcherrima pandit
Divitias; ubi non dextræ monimenta potentis?
Quæ vacat ora deo? quid non testatur amorem
Virtutémque Dei, magnum qui perpete cura
Servat opus, cui sancta sui dominetur imago?
At quamvis Furiis Dæmon instructus Averni
Divinam immundo speciem violaverit ungue,
Major in afflictis divina potentia rebus
Emicat; illa fores inferno poste revulsas
Pallentis Lethi cœlesti in limine fixit,
Rursus & è media pressit caligine lucem.
Ergò sibi errorum fecit per devia callem
Gratia, qua major casúque illustrior ipso,
Enituit renovatus Homo, factúsque secundùm,
Patritius Solymæ cœlestis & advena Terræ.
Hunc divinus amor blandè complexus, ocellis
Chariùs asservat, per lubrica Dædala Mundi
Luctantem implexos sursum contendere gressus,
Et patrio tandem servatum in limine sistit.
Nec tamen immensos oculos curámque sagacem
Effugiunt quos ipse latet; non ille profanum
Securúmque Dei neglectus negligit Orbem.

Sed quacunque vagus diffundit lumina Titan
Per populos dat jura Deus, justósque perinde
Nutrit & injustos, pluit in blasphema benigno
Ora cibo; donec sceptro (mirabile) ferreo,
Grandiloquos scelerum artifices, ceu fictile conum,
Sanguineósque fero confringat in ore molares.
Ille subalternas Cœlo fulgere coronas
Curat, & aurato deductos stamine Reges,
Cognatúmque suo gaudet defendere culmen.
Quondam etiam celsos apices devolvit, & imos
Promit ab obscuro, quos summi in luce theatri
Protinus insueto vestit Reverentia vultu.
Non meriti, non te generis fiducia tollat
Quisquis es; en Judex rerum qui tractat habenas
Nos habet ut talos, numero quos ipse minore
Vel majore notat; nec magna & digna requirit,
Ipse facit dignos, sibimétque est causa favendi.
O justum, O summi non perscrutabile Regis
Consilium! qui quæ brutâ vertigine Mundus
Multiplici temere perplexa ambage volutat,
Ordine disponit tacito; cui justa geruntur
Cœlitus injustè causis patrata secundis,
Quisque hominum cæcis splendorem accersit ab umbris.
Euge quod ignari facitis præstate volentes,
Sacra Deo soboles, insignis imagine divâ.
Euge Deum celebrate Bonum, celebrate Potentem,
Pangite Justitiæ non vestigabile textum,
Consiliúmque cavâ longè sub nube repóstum.
Undique quà roseo Titan se purpurat ortu,
Aut vespertino nubes discriminat ostro;
Quà candente rotâ sitientes torret arenas,
Aut ubi semestri glacie vælonga riget nox;
Te rerum, Deus alme, Patrem gens omnis adoret,
Corde pio, positóque genu, manibúsque supinis,
Linguáque devotæ referans penetralia mentis
Immortale decus mortali voce celebret.
Summe Opifex, mihi qui divinæ particulam auræ
Primitus indulsti, deformatúmque refinxti;

Heu

Heu me finge iterum : fac dignus origine magnâ
Sacrificem puras imo ſub pectore fibras ;
Unde, Pater, puræ tibi fumet adorea laudis.
Me laudes Aurora tuas matura canentem
Audiat, & ſero decedens Veſper Olympo.
Me populis memorante tuæ miracula dextræ,
Perſonet omne nemus, omnis lætum aſſonet Echo.
Donec poſt miſeræ perrupta ergaſtula carnis,
Angelus in cœlis, citharâ ſpectabilis aureâ,
Dicam inſigne recens, attento gratus Olympo.

Hymnus

Hymnus III.

Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum Dominum nostrum.

Quò me rumentem, Christe rapis tui?
Quid palpitanti pectore fervidum
Exultat? Ohe jam micantes
Est animus super ire zonas.
Hem parce, curro quo jubet impetus
Ardore sacro dulciter impotens,
Festinus alarum beatas
Remigio penetrare sedes.
Audire sanctos jam videor choros,
Longo canentes ordine Principem
Te Christe Mundi, te supremo
Progeniem similem Parenti.
O qui secundus párque simul Deo
Regnas, & unus cum Patre Filius!
O qui coæterno perennas
Cum Genitore beatus ævo!
Tu Sermo, tu Mens, tu Sapientia
Summi Parentis: tu Deus à Deo:
Tu sola proles, cui Jehova
Nil genuit simile aut secundum.
Nondum profundo stabat in æthere
Librata Tellus ponderibus suis,
Non mutua radice colles
Miscuerant lapidosa vincla:
Nondum caloris vivifici penum,
Non alma lucis munera limpidæ

Titan recludebat, rubente
Os nitidum radiatus auro;
Quum tu paterno lumine fulgidus,
Lætas agebas cum Patre ferias,
Solúsque ditabas Parentem,
Ipse nuero locuples Parente.
En ut verendo magnificus throno,
Sacro decoris lumine gemmeus,
Lætos corona vibrat ignes,
Obsequium generans amore:
Splendore vultûs mirifico nitens,
Divæ tremendus robore dexteræ,
Armísque, regalíque quassans
Fulmineas humero sagittas.
Connata puro quem capiti beat
Lato coruscans Gloria syrmate,
Cui nomen haud auri metalla
Aut pretium dederint pyropi.
Euge O cæruli pacifica sedens
Faustus triumpha, Maxime Cœlitum,
Præbente candentes utrinque
Justitiâ & Bonitate bigas.
Te circa ovantum millia millium
Pæana grandi carmine concinant,
Cœlíque percussi laboret
Aula sacro resonare plausu.
Exurge Cœlo, Justitiæ jubar,
Quovis renidens sidere dulciùs
Terris, & aspectu benigno
Spes hominum refove jacentes,
Pandente nobis te jubar aureum,
Soles sereni ducimus aureos;
Condente, mersam morte vitam
Tartareis agimus tenebris.
Quòd non perimus muneris est tui.
In te movemur, vivimus, & sumus.
Vitæque, sperando beati,
Præcipimus melioris auram.

Rof-

Per te ſcabellum quæ pedibus foret,
Terram natantem ſtravit in æquore,
Sedémque Cœlorum ſuperbam
Cæruleo laqueavit arcu
Miranda promens ex tenebris Deus,
Te juſſa Verbo. Fecit amabilem,
Tuimet exemplum ſecutus,
Terræ Hominem mediúmque Cœli.
Ille ex creantis ſuave recens manu,
Gnati decorus fulſit imagine,
Parentis æternam creatâ
Effigiem effigie reflectens.
At cùm verendam fœdus imaginem
Orci ſatelles polluerit ſuâ,
En Chriſtus informem reformat
Ad proprios velut antè vultus.
Te Chriſte fabrum, te Dominum ſui,
Te dignitatis prototypum ſuæ,
Te gratus authorem ſalutis
Dicat Homo, celebrétque, amétque.
Vix Mortis atris induerat plagis
Caput ſceleſtum, tu bonus exuis,
Temétque promittens barathro
Semianimem revocas Averni:
Te nempe plenis affore ſeculis
Cedendo victorem, & pede ſaucio
Draconis eliſum prementem
Sinciput, horribiléſque chelas.
Mox lacte verbi, & mollibus imperiis,
Infantiam Orbis leniter educas;
Solóſque, confuſóſque lapſu,
Progenie recreas parentes.
Exinde Mundi, Maximus, Optimus,
Robuſta grandi lora quatis manu;
Legéſque, mercedéſque, pœnáſque,
Arbitrio ſapiente condis.
Nam lætum inungens rore ſacro caput,
Rerum potentem te ſtatuit Pater;

Decúſque

Decúsque & augustum decoris
Temporibus diadema cinxit.
Ergò Israëli, nube latens cavâ,
Vocem imperantem desuper intonas;
Legémque proclamas magistram,
Fulmineo venerandus ore.
Loquente, laxis contremuit Polis
Emota Tellus, ignis edax jugis
Erupit, ardentes favillas
Et piceum glomerans vaporem.

Repentè crebro nubila fulgure
Comprensa latè, cæruleos specus
Rupêre, & horrendo tumultu
Infremuit sine more Cœlum.
Furvos rotabat flamma rapax globos;
Audita cœlo buccina fumidas
Clangebat infandum per auras,
Semineci metuenda turbæ.

Heu nè, inquiebant, grande loquens Deus
Vocis tremendæ non patiens lutum,
Lentámque compagem solutos
In cinerem minuat nocentes!

Tu porrò Legem quando refers novam,
Læto serenus fœdere, fortium
Parcis loquelarum, & severos
A facie radios reducis.

Mortalis oris voce Deum sonans,
Demissa Cœlo munera nuncias
Salutis, indutus nitentem
Ambrosiâ juvenem figurâ.
Qualis quieto fulget in æquore
Clarus videri, sed placidus tamen,
Titan reflexus; nec retundens,
Sed recreans oculos videntum.
Vel quale sudo limpidus æthere,
Mirè venustis Lucifer ignibus

Fauſtùm renidet, gemmeóque
Ambiguam facit ore noctem.
Salve diei Phoſphore perpetis,
Quem mox remoto carnis operculo
Solem fatemur, liberantem
Nocte oculos animámque morte.

Salve ſalutis Conditor unicæ,
Qui plus amoris vulnere ſaucius
Quàm militum armis barbarorum,
Te proprio decoras cruore.

Te per ſalebras, per vada lubrica,
Per tela, per teſqua Orbis inhoſpiti,
Crucis triumphantem tropæo
Conſequimur, Cruce militantes.

En Chriſtianus ſanguis ut undique
Divo redemptus ſanguine funditur
Contemptus, impinguátque campos,
Et trepidum pelagus cruentat.

Clauſi carinæ fictilis alveo,
Veſanientis ludibrium ſali,
Pœnæque, peccatíque, fontes
Ilicet obruimur procellâ.
Heu nè miſellos ſperne homines homo;
Nè facta dextræ ſperne Deus tuæ:
Fratréſque juxta ſubditóſque
Serva Hominis medius Deíque.
Tandem benigno ſidere cœlitus
Singultientem reſpice Conjugem,
O qui colentum te fideli
Utre pius lachrymas reponis.
O quando carnis compede liberos,
Tui ſacratos ſanguinis unguine,
Reges Sacerdotéſque magno
Propitius ſtatues Parenti?
Tandem ſupremis fulguret ignibus
Nubes Olympo te reducem vehens.

Sis faustus; optatæque longùm
Rumpe moras propere diei;
Ultrice flammâ terribilis malis,
Bonis amœnùm lucidus aspici;
Mundíque convulsi fideles
Incolumes faciat ruina.

Hymnus IV.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Virgine Maria.

O Quos longa premunt hyberni frigora ſecli,
Tædia qui vigiles infeliceſque tenebras
Vincitis excubiis, vobis pecoriſque cavente,
Paſtores ovium; veſter ſi pabula verbi
Grex amat, & pernox felices ruminat herbas,
Macti animis, qui curat oves oviúmque magiſtros
Advenit, & mediam diſtinguit lumine noctem.
Cernitis ut clarâ devectus nube coruſcat,
Quem circum mites accendit Gloria flammas
Angelus, & ridente polum diducit hiatu,
Pacifero trepidum ſolvens ſermone pavorem.
En vobis placido fauſtus demittor Olympo
Nuncius, & toti quondam lætiſſimus Orbi;
Naſcitur antiqua proavi Davidis in urbe
Ille laborantis dudum expectatio Mundi:
Qui Cœlum & Terram grandi moderatur habenâ
Induit infantem, Mater quem paupere panno
Faſciat, & viles præbent præſepia cunas.
Sic fatus, niveis glomeratim adremigat alis
Progenies lucis, Geniorum turba volucrum,
Et cantu Cœlum omne cient, & laude canorâ
Concelebrant, tali mulcentes æthera metro.
Te Deus immenſis excelſum æterna coronet
Laudibus, & propriâ præcingat Gloria luce.
Aurea Pax Cœlo placidè delapſa benigno
Incolat innocuas Terras, hominúmque volentum
Candida ſinceras perfundat Gratia mentes.
Succeſsêre polo. Quid nos, quid noſtra moratur

Officia

Officia? O lætos citior nè Phoſphorus ortus
Acceleret, puerúmque Deum Sol feſtus adoret,
Quàm jubar Eoum Chriſti veneramur ovantes.
Salve magna Salus Mundi, lux alma remotis
Gentibus, atque tui juſtiſſima gloria Judæ.
Ingredere æterni ſoboles æterna parentis,
Nunc hominis nova progenies, quæ fœdere miro
Suſcipis humanam ſervato Numine carnem.
Hui! quæ tanta fuit, ſummi Moderator Olympi,
Cauſa tibi miſeræ reptandi in compede carnis?
Tén' vermem impuris imi ſub fæcibus Orbis
Demerſum, terræ qui victitat excremento,
Incolere? fragilíne Deum te condere teſtâ?
Nimirum facis hiſtoriam quæ fabula nuper,
Devinctum ingenti Sponſæ mortalis amore
Deſcendiſſe polo Superúmque hominúmque Potentem,
Humanáque ſuum Numen veſtiſſe figurâ.
Huc amor, huc te Sponſa Deum deduxit amantem,
Illa tuâ Jeſu redimenda Eccleſia morte.
O magna Angelicæ ſtupeant myſteria mentes,
Pennarum niveo tectæ velamine vultus,
Attonitis homines animis linguíſque favete.
En Amor æternùm ſocius Natíque Patríſque,
SPIRITUS ipſe DEUS, proceſſio magna duorum,
Virginis in gremium puræ deſcendit, & almos
Implevit virtute ſinus lætóque pudore.
Protinus intactæ, dictu mirabile, Matris
Virgineo divum concrevit ſanguine ſemen;
Quo tu, Chriſte, latens, hominem Deus induis, Author
Fis opus, & propriâ Genitor de prole crearis,
Ipſe creans, Pater ipſe tui, Pater ipſe parentis,
Matris alens uterum fœtus, geſtánſque gerentem.
O quàm te memorem mulierum gloria Virgo!
Virgo ſalutanti Superûm veneranda Miniſtro.
Primus amor Cœli, lucis Matúta beatæ;
Magnus honos ſexûs, Geniis miranda coruſcis.
O quam parte ſui condivit Gratia quintâ
Nectaris, & capiti fragrantia balſama ſancto

Cœlitus inſtillat; quo tu perfuſa capillum
Unguine, divinos latè virtutis odores
Spargis, & ambroſiæ decus admirabile frontis.
Scilicet auguſtæ populos reverentia formæ
Subjicit attonitos, quos Majeſtate ſerenâ
Lætificas terréſque ſimul, victúſque Cupido
Lumina pura fugit caſtam vibrantia lucem.
Non tibi completæ facies argentea Lunæ
Par micat, aut roſeos accendens Lucifer ignes;
Non gemmis radiata comas Aurora ſuperbas,
Et vario ſudas pingens emblemate nubes.
Vos teneræ factæque procis idola puellæ,
Cedite, non tegit hæc vulgares forma receſſus,
Non oculi mortale micant, quum conſcia Virtus
Demittit placidos, fœtúſque capacia tanti
Intentata pavent conceptum viſcera Numen.
Felix virgo Parens, rerum fœcunda Parente!
Quem penitus fotum Fidei vitalibus auris
Fers utero, ſed corde magis; cui pectus Olympus,
Virgineúmque latus templum, ſanctúmque tribunal.
Ecce ſatellitium ſummi regale Tonantis
Te Legio Dominam ſtipat prætoria Cœli:
Prægnantémque thronum Domini pia turba tuetur.
Mox ulnis decimo fauſtùm te menſe jacentem
Sublevat, & dextras tibi porrigit obſtetrices.
Illuſtres ſtabuli latebras! præſepia clara
Cunarum officio, collucentéſque tenebras!
Anguſto cedat tegeti tua regia Cæſar.
Imperioſa truci cedant Capitolia mole.
Hîc micat æterni divina infantia Chriſti;
Hîc revehens Mundo melioris ſecula lamnæ,
Una Dei ſoboles; ingénſque puerpera Virgo,
Et pecudum circà venerans timor obſtiparum.
Hîc non viſa priùs, nec poſt ſpectanda coruſcat
Stella ſalutiferi felix anteambulo Regis.
Ecce novos oculos aperit, nova lumina Cœlum,
Divinúmque larem curâ propiore tuetur.
Protinus aſtrorum gens conſultiſſima, ſtellam

Inſuetæ

Insuetam stupuêre Magi; non æquore tingi,
Sphærarum rapido non se committere gyro,
Sed signare novum vicino lumine callem.
Ergò sequi quà monstrat iter, magnúmque Salutis
Vestigant famulo signatum sidere sidus.
Nulla quies, mora nulla piis stellamque secutis,
Donec in optato stabuli se culmine sistat.
Ut ventum divi plebeia ad limina Regis,
Inclines puero vestitum Numen adorant:
Thesaurósque graves auro, myrrhæque suaves
Apponunt genibus lachrymas, & idonea Christo
Thurea dona Deo, virgæ sudata Sabææ.
Sed Pietas alio sacrabat aromata thure,
Et stactam fidei & casiam spirabat Amoris.
Altera nascenti quid cessat munera Christo
Fundere luxurians cornu Natura beato?
Et fragrante rosâ, & puniceo hyacintho,
Vernantes inspersa sinus, redimita capillos,
Et vario lætùm sibi discolor indumento.
Floribus implexæ texant cunabula fruges.
Strata croco, lauríque vagis illusa corymbis.
Scilicet hoc quondam juvenescet Principe Tellus,
Sole novo splendens, flammísque recocta supremis:
Fundet ager segetes nullo violatus aratro;
Aurea flumineis pendebunt mala salictis:
Sponte suâ, stimulísque rosæ nascentur inermes.
Horrida nectareis mitescet spina racemis.
Lilia pro tribulis, pro rusco laurea surget.
Mutabunt steriles latè pomaria sylvas.
Conversæ solido rupes adamante micabunt.
Et crocei lætis spargentur nubibus imbres.
Sic tibi, sic festo quondam regnetur in Orbe;
Et secli æternùm potiaris Conditor auro:
Te duce Virtutum confundant oscula turmæ,
Alternísque Salus Fidei complexibus hærens.
Euge! decus sacrum quo te Deus alme coronas,
Quære iterum nunc factus Homo: tibi Gloria surgat
Per trepidos casus, per virtutésque, doloréque,

Et ſplendor tenebris, & ſurgat vita ſepulchro.
Interea trepido ſubmiſſi corde genúque,
Te Puer immenſum colimus paupercule Numen,
Et pedibus proni libamus baſia parvis.
O cui participem placuit te reddere noſtri,
Participes nos redde tui: vicibúſque benignis
Mentem, Chriſte, tuam noſtrâ pro carne repone.

HYMNUS

Hymnus V.

Passus est sub Pontio Pilato crucifixus, mortuus.

Quò premitis populi, totis quos Regia valvis
Vix recipit, densos humeris, tardósque ruendo?
Nempe salutandum natali Cæsar in ostro
Sese offert, nitidos urget cui laurea crines,
Ingenuam viridi laurum mentita smaragdo,
Purpureum medius Procerum, ceu ducit Olympo
Illustres Diana choros, illustrior ipsa.
O vanas hominum mentes! O vana secutas!
Siccine pendentes stupeatis arundine quassa,
Frivola quam vestit perituri gloria fuci?
Huc oculos, populi tandem contendite rectos;
Hic major Salomone, throno quum fulget eburno
Aurea cui gradibus surgunt anabathra superbis,
Stant solidi ex auro bisseni utrinque leones.
Hîc Deus humanos non dedignate dolores,
Candidus & proprio rubicundus sanguine fulges,
Et Regum extinguis victrici morte triumphos.
En Erebus Christi prostratus morte, profundùm
Murmurat, & fracto nequicquam dente coruscat.
En fremit infernus collisâ fronte satelles,
Sub pedibus Rex Magne tuis, calcémque terentis
Ore terit, pressis stridente molaribus iras.
En Mortem propriâ confossam pectora falce.
En Scelus & Sceleris comites à stirpe revulsos
Tartareâ; fugiunt pacati finibus Orbis,
Improba vipereos quatiens Discordia crines,
Incurvúsque Labos, tectóque Infamia vultu,
Et titubans Pavor, & lugentia monstra Dolores
Innumeri, flagróque furens Vindicta cruento.

Parte

Parte aliâ canámque Fidem, Pacémque ſerenam,
Fondit ovans divo Tellus reſperſa cruore.
Juſtitia & Bonitas adſunt Par nobile Cœlo;
Stat media ambarum Vitæ mirabilis arbos,
Crux Domino inſignis, Nemeſíque maritat Amorem,
Aſtra Solo, Morti Vitam, Pœnámque Saluti.
O Deus æternâ decoris radiate coronâ,
Temet amans temétque beans, quo maxima rerum
Perſtat, & immoto ſeries Rectore movetur.
Téne tuum Numen, quod Gloria creſcere ſumma
Haud patitur, potuiſſe attollere demittendo?
Supremúmne decus ſummum per dedecus auges?
Ut quondam in tabula pictor ſic lucida fuſcis
Temperat, ut vivens umbris exurgat imago:
Aut ubi terribili contorquens fulmina dextrâ
Altitonans, piceis eructat nubibus ignes,
Acriùs implexæ rutilant fuligine flammæ:
Talis lethiferis effulges, Chriſte, tenebris,
Major adhuc factus quàm Maximus; ipſe dolorum
Fons tibi melle fluit, luménque accenditur umbrâ.
O quicunque ſacra carpis de Morte Salutem,
Huc ades, hanc lætis ſimul & miſerantibus hauri
Mortem oculis, lachrymáſque Dei cum ſanguine miſce.
Aſpicis ut mortem ſolo nocturnus in horto
Præcipiens, imis transfixa per oſſa medullis
Sentiat irati flammantia tela Parentis?
Scilicet ægra coquit dirus præcordia fervor,
Quo nitente foras totus ſudore cruento
Liquitur (infandum, & nulli ſpectabile ſeclo)
Excoctíſque rubens venis exuberat humor.
Sic ſceleris noſtri moles gravis incumbebat,
Ut cruor expreſſus vegrandis pondere præli
Curreret, & Terram divinus tingeret imber.
Protinus armato ſtipatus milite, gnaro
Lethifer occurrit Furiis accenſus Judas;
Monſtrum hominis, nulli non execrabile ſeclo,
Vejovis inferni ſoboles, pejórque parente.
Ille dolis inſtructus, hero, falſo ore renidens,

Oſcula

Oscula dat, multam dicens adiménsque salutem.
Cætera turba ruit, Jesúmque hoc indice vinclis
Impediunt, Annæque inimica ad limina trudunt,
Mox Caiphæ. Stetit in sævo divina Senatu,
Nec flexit Proceres sanctæ reverentia frontis.
Crimina vana simul, nullo confícta colore,
Allecti falso falsi sub Judice testes
Improperant Justo; tandem Justóque Deóque
Obfuit esse Deum, nocuit Justúmque Benignúmque,
Æternúmque genus dictis factísque tueri;
Hoc crimen fuit, hoc flagris & cæde piandum.
Consurgunt incensi animis, ludibria dio
Ingeminant capiti, sputísque alapísque petitum
Ad fera Romulei Proconsulis atria raptant.
Ille Deum, melior Pharisæo judice, sensit,
Expavítque reum: Scribæ clamore fatigant,
Et justum damnare adigunt, & tradere morti.
Ante tamen vivo lustratis flumine palmis,
Sic, precor, innocui purus sim sanguinis, inquit.
Judæi huic contrà, Nobis sobolíque perennis
Hæreat. Audivit qui Terram & sidera nutu
Quassat, & iratus voti damnavit iniquos;
Ergò gravis soboli serísque nepotibus hæsit,
Ipse sibi horrendum Judææ cæde parentans.
Ast ubi damnatum sensit perjurus Iudas,
Uritur ultrices gestans in pectore diras,
Ætatémque suam furiatáque devovet ausa.
Tum sceleris nummos irritamenta nefandi
Projicit impatiens, sævum si pectore possit
Excussisse nefas; sed Pax fugit alma scelestos:
Ergò Deum, & semet, lucémque exosus iniquam,
Elidit sceleratam animam; faucésque revinctus
Infelice malum vibratur ab arbore pondus:
Viscera tensa crepant, stimulísque latentibus ardens
Rumpitur, & laqueo pronus demittitur Orco.
At latus ambrosium morti damnatus Iesus
Romanis patiens violandum fascibus offert.
Cœlicolûm parent cui millia mille Monarcha

Se

Se ludos fieri patitur, sannísque malorum
Servorum excipitur, Regísque irrisus honore,
Coccineam jussus sumítque & ponit abollam.
Pro radiante Poli, plexas diademate sentes
Gestat adorandum Cœlo caput; ergò coronam
Ornat, & ex falso verum deducit honorem,
Ingenuâ Regem se Majestate coronans.
Jámque satis ludi, sitit impia turba cruorem.
Ducitur immani sub pondere Christus anhelans
Et crucis & nostri sceleris; non ille dolores
Detrectare Crucis, vel se subducere Morti.
Atqui aderant Domino, si quid jussisset, in armis
Angelicæ præstò dextrâ levâque cohortes.
Spectabant arrectæ animis, fixísque micantes
Luminibus, divi quo se patientia Regis
Verteret, infernos debellatura dolores.
Et Crucis obstipæ mysteria scrutabantur.
Interea medius fatali in stipite vinctus
Tollitur hinc atque hinc palmas confossus Iesus,
Extantíque ambas confixus in assere plantas.
Subsiliunt toto labefacti corpore nervi.
Æstuat ebullans terebratis artubus ichor,
Rore pluens sacro, & Terrâ sitiente receptus
Expiat injusto violatam sanguine Terram.
Ergò Salus riguæ gremio Telluris oborta
Pullulat, & justo tandem placata cruore
Justitia, & discit Terris inolescere Cœlum.
Te tamen, O tantæ pretium vindéxque Salutis,
Irarum quatiunt decumanis fluctibus undæ;
Quas Pater humano repetens de crimine pœnam
Accumulat, quas turba furens, quas Dæmonis atri
Virus atrox. Tanti fuerat moliminis Orbem
Tartareo sceleris constrictum exsolvere vinclo.
Vidit, & avertit ora indignantia Titan,
Involvítque suos velis horrentibus ignes,
Pullatus moriente Deo, lucémque perosus
Ipse suam, & Cœli non dignas lumine Terras:
Cùm nec in Occiduo properaret limite currum

Solvere,

Solvere, ſed medii ſpatio ſudaret Olympi;
Nec Phœbe oppoſito fraternam pectore lucem
Præriperet Terris, alio ſed plena ſub axe.
Sol quoque Juſtitiæ lethi feralibus umbris
Mergitur, at merſus non occidit; immo nec ullam
Eclipſin patitur, ſed lumen continet ultro.
At ſua configi ſpectabat viſcera Mater,
Heu triſtis Mater, gladio trans pectus adacta;
Hanc oculis Jeſus in morte natantibus ægram
Reſpicit, & curâ nunquam moriente, Johannem
Orbæ ſubſtituit comitem Natúmque Parenti.
Nec ſletit hîc divinus Amor; ſervare latronem
Pœnarum ſocium, ſociúmque adſciſcere regni
Curat, & ignoſci fixus figentibus orat,
Quémque malè effundunt parat illis ſanguine vitam.
Aſt ubi complevit patiendo oracula vatum,
Auxilium ſupplex dextræ ferientis adorat,
Oráque robuſto gemitu morientia ſolvens,
Efflavit divinam animam clamore jubentis,
Séque ſuæ Dominum vitæ mortíſque probavit.
Protinus emoto latè fundamine Tellus
Contremuit, rupti lapides, cautéſque vetuſtæ
Egêrunt grandes laxâ compagine rimas.
Scinditur oppoſitum Templi penetralibus imis
Velum auguſtum ingens, & clauſtris ſpontè reductis
Non aſpectandi vulgo patuêre receſſus.
Surrexêre Patrum longâ compôſta quiete
Juſſa ſepulchrorum de molibus antiquorum
Corpora, & horrificæ paſſim erravêre figuræ.
Territa diriguit magnis gens impia monſtris.
Et priſcum timuêre Chaos, gelidúſque per artus
Horror anhelantes & conſcia corda cucurrit.
Pars melior juga mota quidem, diráſque tenebras,
Sed magis innocui portentum ſanguinis horret;
Et manibus tunſæ liventia pectora matres
Ora rigant lachrymis, & mœſto murmure vulgus
Dant victas tibi, Chriſte, manus; te, Chriſte, fatentur
Naturæ Dominum, quo Sol patiente labori

Deficit,

Se ludos fieri patitur, sanníſque malorum
Servorum excipitur, Regíſque irriſus honore,
Coccineam juſſus ſumítque & ponit abollam.
Pro radiante Poli, plexas diademate ſentes
Geſtat adorandum Cœlo caput; ergò coronam
Ornat, & ex falſo verum deducit honorem,
Ingenuâ Regem ſe Majeſtate coronans.
Jámque ſatis ludi, ſitit impia turba cruorem.
Ducitur immani ſub pondere Chriſtus anhelans
Et crucis & noſtri ſceleris; non ille dolores
Detrectare Crucis, vel ſe ſubducere Morti.
Atqui aderant Domino, ſi quid juſſiſſet, in armis
Angelicæ præſtò dextrâ levâque cohortes.
Spectabant arrectæ animis, fixíſque micantes
Luminibus, divi quo ſe patientia Regis
Verteret, infernos debellatura dolores.
Et Crucis obſtipæ myſteria ſcrutabantur.
Interea medius fatali in ſtipite vinctus
Tollitur hinc atque hinc palmas confoſſus Iesus,
Extantíque ambas confixus in aſſere plantas.
Subſiliunt toto labefacti corpore nervi.
Æſtuat ebullans terebratis artubus ichor,
Rore pluens ſacro, & Terrâ ſitiente receptus
Expiat injuſto violatam ſanguine Terram.
Ergò Salus riguæ gremio Telluris oborta
Pullulat, & juſto tandem placata cruore
Juſtitia, & diſcit Terris inoleſcere Cœlum.
Te tamen, O tantæ pretium vindéxque Salutis,
Irarum quatiunt decumanis fluctibus undæ;
Quas Pater humano repetens de crimine pœnam
Accumulat, quas turba furens, quas Dæmonis atri
Virus atrox. Tanti fuerat moliminis Orbem
Tartareo ſceleris conſtrictum exſolvere vinclo.
Vidit, & avertit ora indignantia Titan,
Involvítque ſuos velis horrentibus ignes,
Pullatus moriente Deo, lucémque peroſus
Ipſe ſuam, & Cœli non dignas lumine Terras:
Cùm nec in Occiduo properaret limite currum

Solvere,

Solvere, ſed medii ſpatio ſudaret Olympi;
Nec Phœbe oppoſito fraternam pectore lucem
Præriperet Terris, alio ſed plena ſub axe.
Sol quoque Juſtitiæ lethi feralibus umbris
Mergitur, at merſus non occidit; immo nec ullam
Eclipſin patitur, ſed lumen continet ultro.
At ſua configi ſpectabat viſcera Mater,
Heu triſtis Mater, gladio trans pectus adacta;
Hanc oculis Jeſus in morte natantibus ægram
Reſpicit, & curâ nunquam moriente, Johannem
Orbæ ſubſtituit comitem Natúmque Parenti.
Nec ſletit hîc divinus Amor; ſervare latronem
Pœnarum ſocium, ſociúmque adſciſcere regni
Curat, & ignoſci fixas figentibus orat,
Quémque malè effundunt parat illis ſanguine vitam.
Aſt ubi complevit patiendo oracula vatum,
Auxilium ſupplex dextræ ferientis adorat,
Oráque robuſto gemitu morientia ſolvens,
Efflavit divinam animam clamore jubentis,
Séque ſuæ Dominum vitæ mortíſque probavit.
Protinus emoto latè fundamine Tellus
Contremuit, rupti lapides, caurésque vetuſtæ
Egêrunt grandes laxâ compagine rimas.
Scinditur oppoſitum Templi penetralibus imis
Velum auguſtum ingens, & clauſtris ſponte reductis
Non aſpectandi vulgo patuêre receſſus.
Surrexêre Patrum longâ compôſta quiete
Juſſa ſepulchrorum de molibus antiquorum
Corpora, & horrificæ paſſim erravêre figuræ.
Territa diriguit magnis gens impia monſtris.
Et priſcum timuêre Chaos, gelidúſque per artus
Horror anhelantes & conſcia corda cucurrit.
Pars melior juga mota quidem, diráſque tenebras,
Sed magis innocui portentum ſanguinis horret;
Et manibus tunſæ liventia pectora matres
Ora rigant lachrymis, & mœſto murmure vulgus
Dant victas tibi, Chriſte, manus; te, Chriſte, fatentur
Naturæ Dominum, quo Sol patiente labori

Deficit,

Deficit, & fessi luxatur machina Mundi.
Inventus tamen indomito qui pectore saxa
Vinceret ad Christi mortem dirupta, latúsque
Exanime intortâ crudelis rumperet hastâ.
It cruor, & cæso vivax de pectore lympha,
Ambobúsque fluunt præcordia sacramentis.
Felicem O duplici saturatam nectare Terram!
Sanguineis vitreo distinctis flumine venis.
Tale rubet pratum roseum quod manè salutat,
Quum teneras gemmis ros almus acuminat herbas,
Quas vix dimidius nascenti lumine Titan
Purpurat, ambiguo varians crystalla pyropo.
Euge salutifero fœcundum vulnere pectus!
O geminos uno fundens de fonte liquores!
Sanguineo nos rore pia, lymphísque lavato:
Sanguine pœna gravis peccati, & sanguine labes
Eluitor, labésque priùs quàm pœna facessat.
Maxime cui trepido nutavit cardine Mundus,
Et pavidæ venis rupes crepuêre solutis,
Heu pigros animos, divinâ morte tremendus,
Succutes & ingenitam duro sub pectore cautem
Contere, contrito ducens de corde triumphum.
Mentibus heu fractis clemens illabere victor,
Devictæque viam carnis tibi sterne ruinâ.
Horreat heu! nostro contractas crimine pœnas
Saucia mens, clavísque tuis & cuspide fixa.
Mox oleo recrea divini sanguinis ægram,
Salvifico lateris vitam de vulnere fundens.

HYMNUS

Hymnus VI.

Mortuus & ſepultus.

Moroſe Titan, túque lugentis Poli
Pullata facies, & tibi Tellus gravis,
Succuſſa pigrum motibus trepidis latus,
Obambulánſque horrenda Manium cohors
Tumulis citata; túque ruptarum fragor
Moriente Chriſto rupium, O jam parcite;
Satis tremoris mentibus datum & ſolo.
Sol redde lucem, dum ſuo componimus
Jeſum ſepulchro. Terra parce motibus,
Liceat quietis oſſibus recumbere.
Joſephe propera pendulum refigere,
Felix opimas tollere exuvias, Deo
Etiam calentes; ferto Nicodeme opem,
Incipe diurnus Meſſiam ſectarier.
Tu mœſta Nardo Magdalena tempera:
Nec delicatis balſami ſudoribus
Myrrhæve lachrymis mortuum unge, ſed tuis;
Et cinnamomi ſuppleat vices amor,
Thuris Sabæi cor pium, ſtactæ fides;
Tibi ordo totus aggemat fidelium,
Eadémque tecum conferant aromata.
At luctuoſis temperate leſſibus,
Lachrymis parentet ſola Pœnitentia;
Lugere Chriſtum qui Deum credit nequit.
Non ingemiſcant Meſſiæ, gemant ſibi
Paſſæ capillum filiæ Jeruſalem.
Hic Mortis atris exſolutus caſſibus,
Sibi ſuperſtes, & cruore proprio
Torvè decorus, Vejovis Stygii tremor,
Frementis Orci victor exiliet ſpecu;

Et

Et quod cruentis aſperatur ſentibus,
Recline, pallens, ictibúſque luridum,
Penetrabit aſtra mox reviſturum caput,
Radiiſque divæ fulgurabit gloriæ.
Vobiſmet ergò, filiæ Jeruſalem,
Natíſque veſtris ingemiſcite, non Deò.
Uteros tumentes perperámque lacteas
Ferite mammas, heu! genus ferax malè,
Ferro, rapinis, ſervituti, vinculis,
Peſti, famíque, ergaſtulo, cruci, fugæ,
Cruento arenæ barbaræ ludibrio!
Nempe inſtat illa ſanguinis vindex dies,
Quæ cæde cæſo juſta ſolvet Meſſiæ;
Totámque ab imis erutam radicibus
Gentem, rapaci Martis horridi impete
Vertet ferétque, qualis incubuit ſolo
Eurus ſonoro rura verrens turbine,
Solidáſque latâ clade ſternens fraxinos.
Jamjam ſeveri dexteris ultricibus
Aptantur enſes; jam fremit Latio ferox
Rabidis Enyo dentibus crepans minas;
Mox Aquila curvis involabit unguibus,
Ingens, vetuſta, cædibus nullis ſatis
Potis rigare ſanguinis ſiccam ſitim.
Heu quanta lævis excidI prænuntia
Portenta Cœlis! æthra quàm minacibus
Caperata rugis triſte & infandum rubet!
Solymæque dirus enſis imminet ſuper,
Ignitus, horrens: quódque majus prodigIs;
En mitis ille Titus invitus furit,
Cogente fato. Singula invadit Furor;
Aras Sacerdos immolatur ad ſuas,
Proprióque ſacrum extinguit ignem ſanguine.
Pereunt cruentâ cæde dulces liberi
Ante ora patrum, ante ora natorum patres;
Ulniſque in ipſa morte adhuc tenacibus
Peritura matres implicantes pignora.
En ut perempti in mutuis amplexibus

Avent

Avent miſelli conjuges confundere
Animas calentes; Virgines bis occidunt,
Nec antè ferro quàm priùs libidine,
Paucæ beatæ queîs licet caſtis mori.
Non vagientum, non ſenum capularium,
Agnoſcit enſis fervidus diſcrimina.
Stagnant cruore porticus, fora, atria,
Sionis ater colle rivus defluit,
Quem mox rotati compitatim incendii
Exſiccat ignis: fumus abſcondit diem,
Sed flamma reddit, flamma ſingulis repens
Stridente tectis intonata turbine.
Ruit illa Templi quà patet Terra inclyti
Verenda moles, Gentium & Judæ timor:
Ardet vetuſtæ regium gentis decus,
Ingénſque Solyma tota ſit rogus ſibi.
Has, Chriſte, morti reddat inferias tuæ
Sceleroſa turba: dum reget Phœbus diem,
Noctémque Phœbe, cædis infandæ ſcelus,
Diríſque Nemeſis ſæviens ultricibus,
Seris perennis hæreat nepotibus.
Sic ſemper hoſtes, Chriſte, ſic pereant tui.
At qui nefandis ſempiternus hoſtibus
Incumbit ultor; ille pœnitentibus
Piísque ſanguis expiator hæreat;
Ipſóſque diræ cædis expiet reos.
Nos, heu fatemur, heu Redemptor unice
Ignoſce faſſis, nos tuæ cædis rei:
Te ſcelere noſtro fiximus Regem Cruci,
Superis tremendum: hæc haſta confodit latus,
Hoc felleum acetum eſt, hîc trabales malleus
Manuum pedúmque nerveæ compagini
Clavos adegit: Tu tamen nocentibus
Quas fauciárunt porrigis miſeras manus,
Et morte mortis redimis authores tuæ.
At te ſceleſtis parcere, haud ſceleri decet,
Noſmétque noſtrum perſequi decet ſcelus.
Tuum ad ſepulchrum, Liberator unice,

Quod expiâsti sanguine occidat seclus.
Hîc Livor ater, hic Amor cæcus sui,
Hîc impotentis æstus Iracundiæ,
Rupto tumore Fastus extremùm crepans,
Alâsque fractus impudicus Alger,
Hîc Fraudis artes, hîc opum Bulimia,
Ditum Tyrannis, paupertum furacitas,
Frontémque rugis asperata tetricam
Rixa immolatur; Comus hîc, Gula, Alea,
Hîc turpè titubans Crapula ultimùm cadat.
Sic semper hostes, Christe, sic pereant tui.
Tuum ad sepulchrum, Liberator unice,
Hæc monstra dira penitus, hi nefarii
Mactentur hostes, his parentetur tibi.
Munus tibi istud esto bustuarium.

HYMNUS

Hymnus VII.

Descendit ad Inferos.

En vitæ Dominus poténsque Mortis,
In cœci penetralibus sepulchri,
Clausis morte oculis, jacens supinus,
(Quod Mundus venerans, & intuentes
Obstipo capite Angeli stupescant)
Regnum mortuus obtinet silentum,
Regnator Superorum & Inferorum.
Ecquid Dæmonibus tuis catenas
Sub caligine perpetes Averni
Jam jam incudibus audiens crepantes,
Nigri Vejovis aula contremiscis?
Nempe hic est, tetrici Tyranne Averni,
Quem durâ attenuare perstitisti,
Tentator vafer, esuritione,
Per tesqua horrida bis dies viginti;
Ut cum carne animis fame solutis,
Mox technis subitò omnibus peritus,
Præberet facilem tibi triumphum.
Hunc tu præcipitem ex domo Parentis
Ut sese daret ausus es jubere.
Quin hunc omnibus Angelis verendum,
Tu turpissimus omnium rogâsti
Ut pronus tibi cultor advolutus,
Te rerum Dominum juberet esse,
Prorex scilicet Orbis universi
Sub te Rege latrone mox futurus.
Hunc ut tu malè perderes, appellas
Judæos Furiis agens cruentis,
Romanum quoque militare vulgus
(Hui! crudele genus, genus profanum)

In ſanctum caput unus incitâſti,
Ut flagris lacerum, horridúmque ſpinis,
Suffixum rigidæ Cruci necarent.
O qui conditus angue, belluarum
Verſutiſſimus unus audiebas,
Quàm tu bellua bruta, belluíſque
Appares magis eſſe belluinus!
Qui molimine maximo, tuopte
Jumento tibimet malum attuliſti.
Hunc jejunia, flagra, ſputa, ſannæ,
Sudor ſanguineus, Crucis dolores,
Clavi, ſpináque, poculúmque aceto
Diluti malè fellei veneni,
Et Mors denique, Mors pudenda, acerba,
Perfecère bonum, addidére forti
Victoris decus, attulére digno
Evectam ſuper aſtra dignitatem.
Hâc ipsâ Cruce, ceu trinode clavâ,
Perfregit tibi, virulente Serpens,
Perjurum caput, hui! caput malorum,
Et fractum licèt, atque vix cohærens,
Heu vivax nimis & nimis nocivum,
Frendens dentibus, aſperúmque morſu:
Fruſtra, nam velut Iſraëlis ægris
Diris morſibus anguium igneorum,
Serpens reddidit æneus ſalutem
Deſperatam, oculo appetente viſus;
Te morſúſque tuos, maligne Serpens,
Conſpectus Fidei ſupino ocello
Imbelles facit irritóſque Jeſus.
Quódque omnes Superi Inferíque, vultu
Pulchrum prodigium ſtupente cernant,
Quò plùs tu ſtimulo atque dente ſævis,
Hoc plùs viribus & decore præſtant
Chriſti Diſcipuli, ut priùs Magiſter.
At jam quaſſa labat tibi Tyrannis;
Jam nutans tremit, hinc & hinc vacillans,
Portendens ſibi proximam ruinam.

Tu de sidereo axe devolutus,
Prono vertice Terreum impetisti
Orbem, pondere saucium cadentis.
At te longiùs haud ferente Terrâ,
Devolvere modò in Stygis barathrum,
Infra quod nihil est loci malisque,
Quo possis malè tertiúmque volvi.
Illic sulphureo lacu ustulatus,
Torrenti pice luridáque flammâ,
Exhalante olidam tibi mephitim,
Et noxis gravis, & gravis catenis,
Tormentum hoc tibi sponte solus addes,
Urentem invidiam, tuis cruentis
Elapsum unguibus horridisque malis,
Suspectans procul Imperi coruscum
Cœlestis solio & decore Jesum.

Hymnus VIII.

Tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

O Qui diras dans alieni
Sceleris pœnas, tota scelesti,
Juste Redemptor, persolvisti
Debita Mundi, divinus præs
Hominum generis totius unus;
Cùm tu nec asse sis onustus ultimo
Immanis hujus debiti,
Cursu severo Mortis hæres carceri
Post exsolutum debitum?
En tibi, pacato veniens à Judice, lictor
Aliger excusso referavit cardine limen
Durum, luctiferum, non exorabile Lethi.
Indignata suis captivum Terra teneri
Visceribus Dominum, sua jam penetralia pandit,
Surgentíque Deo, devolventíque Ministro
Saxea claustra favet, magnos emota per artus,
Et quasi parturiens cæcis concussa cavernis.
Agedum prodi Mortis specubus
Dominus vitæ victor ab imis;
Téque Tonantis summi Natum
Dominâ Lethi virtute proba.
Nam te præter nemo arbitrio
Quisquam proprio posuit vitam
Sumpsítque iterum; mortuus ultrò;
Sponte resurgens. Téne sepulchri

Clausum tenebris lux exoriens
Tertia cernat ?
Præverte Solis Sol melior diem ;
Vultu tenebras discute fulgido :
Attolle matutinus almos
Vivificæ radios diei.
En dulce ridens Luciferi vice,
Te Christe Solem Justitiæ præit
Accensus alatus, rosísque
Pallidulum rubefecit Ortum ;
Vestis verendæ syrma trahens sacrum,
Candore puras exuperans nives ;
Latéque vibratum coruscat
Ex oculo radiante fulgur.
At mentis impos barbara militum
Custos sepùlchri contremuit cohors ;
Et luce perculsi stupendâ,
Semineces pepulére terram.
Lux nempe Christi percutit impios,
Piis serenùm vivida conspici ;
Secléque bubones supernâ
Cæcutiunt pereúntque luce.
Interea Lethi Jesus eduxit ab antro
Sanctum animæ hospitium, divâ virtute recoctum,
Augustum, ambrosium, nulli tractabile damno.
Et cum linteolis quicquid mortale, Desque
Haud ultrà patiens tumuli sub mole reliquit ;
Jam Cœlum spirans, Cœlum, patriámque, Patrémque,
Cœnosam despectat humum ; Sed grande Salutis
Pertecturus opus, perfusurúsque recenti
Lætitiâ Matrémque & Discipulos lugentes,
Distulit in Cœlum reditum ; paucísque diebus
Indulsit semet Terris, fideíque suorum,
Ora admirantûm redivivi nota Magistri.
At nunc repetit Natum Genitor,
Bísque viginti Fidei jussit
Satis esse dies. Nunc ætherio
Corpore Christus vix terrenas

Patitur fæces. Nunc cœlesti
Proprius Terræ turbidus aër
Est alienæ spiritus auræ.
Nunc Angelicæ Domino turbæ
Decertanti nuper famulæ,
Victoris avent ora tueri.
Nunc Cœlicolûm sacra Spirituum
Millia, poscunt Mortis avaræ
Claro spoliis ducere festum
Læta triumphum.
Ergò sequens vocem Christûm sitientis Olympi,
Protinus ut postrema suis mandata reliquit,
Emicat, & nullo vectus super æthera curru,
Ut quondam ignitæ vatem rapuêre quadrigæ,
Sed raptus virtute suâ, sursum æthera tranat,
Arduus, oppositas transcendens vertice nubes.
Procumbunt comites, cursúmque volantis adorant,
Dum lucet, ardentes oculos lachrymísque madentes,
Brachia, distentásque manus, & hiantia sursum
Ora intendentes: donec spectantia nubes
Lumina corripuit, divum discludere jussa
Nec mortali ultra spectandam lumine corpus.
Ut flos aureolus calendularum,
Quum Sol Hesperio latus cubili
Fessum deposuit, sinum micantem
Lugens contrahit, & recline collum
Languens dejicit, haud purans relicto
Vitalem esse sibi absque Sole vitam:
Solem languiduli suum latere
Mœrent Discipuli exeunte Christo;
In Cœlum licet, at procul remoto,
Illuc unde negant redire quenquam.
Atqui spes erat ut nigrantis Orci
Ruptis postibus, hostiúmque victor,
Æternum decus, æviternus ipse,
Regno Rex stabiliret Israëlis,
Rector Gentibus omnibus tremendus.
At dum mista gementium

Admiratio

Admiratio queſtibus
Mentes ingenuas quatit,
En Lucis ſoboles, duo
Cœli Principis Angeli,
Albo ſyrmate gemmei,
A Rege alloquium ſuo
Solamenque ferunt pium :
Quid vos attonitos Polo
Figentes oculos, viri,
Statis ? Qui petit æthera,
De Cœlo repetet ſolum,
Quo Cœlum petiit modo.
Hæc oracula mentibus
Excepêre viri certa fidelibus.
Permulsítque animos Fides,
Firmatúmque Dei fœdere gaudium.
Dicite Cœlicolûm cœleſtia gaudia linguæ,
Quantis alta Poli reboaverit aula triumphis,
Quantáque Seraphicæ celebrârint jubila mentes,
Quum trepidans plauſu convexi regia Cœli
Victori Regíque Hoſanna Hoſanna ſonaret.
Amplexúſque Patris ſemet Natúmque beantis,
Et ſecum à dextra ſublimi in ſede locantis.
Dicite Cœlicolæ, vobis hoc muneris eſto,
Spectaviſtis enim. Nobis heu ! carnis opacæ
Fœcibus immerſis, & iniquo pondere preſſis,
Enarrare nefas feſti magnalia Cœli.
Nemo oculo fluxæ luſtravit carnis, honores
Delatos reduci Nato, æqualéſque Parenti.
Hoc Fidei ſatis eſto, ſedere Hominémque Deúmque
Dilectum æterno, ſimilem, dextrúmque Tonanti.
Salvifici fontem meriti, quo pondere lanci
Judicis impoſito, vincit delicta ſuorum ;
Concilians homini Numen, precibúſque favorem
Ingenuis, tandémque beans pia pectora Cœlo.
Protege, Chriſte, tuo partam tibi ſanguine gentem.
Te Dominum Sion, Dominum te Mundus adoret,
Propitium juſtis, conculcantémque malignos.

HYMNUS

Hymnus IX.

Indè venturus eſt ut judicet vivos & mortuos.

Qualis abſentis cupiens mariti,
Heu procul longùm peregre morantis,
Nupta cui taſtum generoſa pulſat
Flamma pudorem,
Phoſphoro tardum veniente Sponſum,
Heſpero Sponſum redeunte luget,
Et jacens Sponſum viduo requirit
Frigida lecto.
Tædium pigræ nequit illa noctis,
Et nimis longæ tolerare lucis;
Littora & fluctus nihil audientes
Queſtubus urgens,
Et notans longè numeránſque vela,
Conjugem ſi quæ referant morantem,
Singulas venti variantis aure
Excipit auras.
Talis ad æternum ſpirans Eccleſia Sponſum
Uda tenet patrio lumina fixa polo.
Nempe bis octonum ſuperans abſentia ſeclum,
Pectora ſollicito mœſta dolore premit,
Téque fidémque tuam promiſſi, Chriſte, tenacem
Invocat à reditu pendula tota tuo.
Et quàm longùm, inquit, Cœlo te Sponſe reverſurum
Operior, vitæ Vita Salúſque meæ?
Operior certè, & vivo quòd vivere fas eſt
Viventi reditus ſpéque fidéque tui.
At quot feſſa malis, quantíſque erroribus acta!
Et peccati atrâ quàm labefacta lue!

Hinc

Hinc Mundi rabies, illinc pellacia carnis,
Et bellum Dæmon hostis utrinque movet.
Dúmque meus pro te sociatum Dæmone Mundum,
Et carnem, & Memet vincere certat amor,
Sæpe tuâ, licèt amoti, virtute triumpho,
Sæpe meâ vincor debilitate cadens.
Non habilis sine te, nec tecum vincere digna,
Experior varias, Conjugis orba, vices.
Parce precor, non orba queo nec sola vocari,
Juncta tibi æterni fœdere conjugii:
Quanquam orbæ propior, dum Sponsi ab sede remota
Nec tua sunt oculis ora videnda meis;
Nec licet alternas audire & reddere voces,
Figere nec dextræ basia fida tuæ.
Blanda nec optato circum dare brachia collo,
Nec mirari oculos sidera fausta meis.
O cùm summa tuo redditu mihi gloria surgat,
Nixáque pollicitis sint mea vota tuis,
Rumpe moras, Sponsæque animam refove languentem,
Accendens reditûs lumina viva tui.
Devehitor rutilo densa inter nubila curru,
Alipedes ventos ad tua fræna vocans.
Me puram, similémque tui, dulcissime rerum,
Aspectu præsens effice, Sponse, tuo.
Aut lateri vivam renovato corpore junge,
Aut tecum ut possim vivere, coge mori.
Dum loquor, obscuras distinxit purpura nubes,
Et sensim aurato rutilârunt nubila limbo,
Ignibus ex furvâ passim erumpentibus æthra.
Nec mora, quà vasti patet ardua regia Cœli,
Fulmineis latè radiis exarsit Olympus.
Cernimus? an gratam sperati limitis horam
Anticipat Christi in nimbis fulgentis imago?
Ecce sedet medio sublimis in Iridis arcu,
Ducentis miros æterno à Sole colores,
Splendidus ignito nativi luminis auro,
Extinguens Solem radiis, Sol unicus Orbi:
Et solidum liquidis firmans sibi nubibus axem,

Quadrijugis

Hymnus IX.

Indè venturus eſt ut judicet vivos & mortuos.

Qualis abſentis cupiens mariti,
Heu procul longùm peregre morantis,
Nupta cui caſtum generoſa pulſat
Flamma pudorem,
Phoſphoro tardum veniente Sponſum,
Heſpero Sponſum redeunte luget,
Et jacens Sponſum viduo requirit
Frigida lecto.
Tædium pigræ nequit illa noctis,
Et nimis longæ tolerare lucis;
Littora & fluctus nihil audientes
Queſtubus urgens,
Et notans longè numeránſque vela,
Conjugem ſi quæ referant morantem,
Singulas venti variantis aure
Excipit auras.
Talis ad æternum ſpirans Eccleſia Sponſum
Uda tenet patrio lumina fixa polo.
Nempe bis octonum ſuperans abſentia ſeclum,
Pectora ſollicito mœſta dolore premit,
Téque fidémque tuam promiſſi, Chriſte, tenacem
Invocat à reditu pendula tota tuo.
Et quàm longùm, inquit, Cœlo te Sponſe reverſurum
Operior, vitæ Vita Saluſque meæ?
Operior certè, & vivo quòd vivere fas eſt
Viventi reditus ſpéque fidéque tui.
At quot feſſa malis, quantíſque erroribus acta!
Et peccati atrâ quàm labefacta lue!

Hinc

Hinc Mundi rabies, illinc pellacia carnis,
Et bellum Dæmon hostis utrinque movet.
Dúmque meus pro te sociatum Dæmone Mundum,
Et carnem, & Memet vincere certat amor,
Sæpe tuâ, licèt amoti, virtute triumpho,
Sæpe meâ vincor debilitate cadens.
Non habilis sine te, nec tecum vincere digna,
Experior varias, Conjugis orba, vices.
Parce precor, non orba queo nec sola vocari,
Juncta tibi æterni fœdere conjugii:
Quanquam orbæ propior, dum Sponsi ab sede remota
Nec tua sunt oculis ora videnda meis;
Nec licet alternas audire & reddere voces,
Figere nec dextræ basia fida tuæ.
Blanda nec optato circum dare brachia collo,
Nec mirari oculos sidera fausta meis.
O cùm summa tuo reditu mihi gloria surgat,
Nixáque pollicitis sint mea vota tuis,
Rumpe moras, Sponsæque animam refove languentem,
Accendens reditûs lumina viva tui.
Devehitor rutilo densa inter nubila curru,
Alipedes ventos ad tua fræna vocans.
Me puram, similémque tui, dulcissime rerum,
Aspectu præsens effice, Sponse, tuo.
Aut lateri vivam renovato corpore junge,
Aut tecum ut possim vivere, coge mori.
Dum loquor, obscuras distinxit purpura nubes,
Et sensim aurato rutilârunt nubila limbo,
Ignibus ex furvâ passim erumpentibus æthra.
Nec mora, quà vasti patet ardua regia Cœli,
Fulmineis latè radiis exarsit Olympus.
Cernimus? an gratam sperati limitis horam
Anticipat Christi in nimbis fulgentis imago?
Ecce sedet medio sublimis in Iridis arcu,
Ducentis miros æterno à Sole colores,
Splendidus ignito nativi luminis auro,
Extinguens Solem radiis, Sol unicus Orbi:
Et solidum liquidis firmans sibi nubibus axem,

Quadrijugis

Quadrijugis dat lora volans ſuper æthera ventis.
Mox currum mutans ſolio, ſacróque verendus
Ore, dat immotâ ſe Majeſtate videndum:
Scilicet attonito pœnas & præmia Mundo
Et tandem extremi ſolemnia jura ferentem
Judicii. Modò ſiderei ſubſellia Scribæ
Implent; codicibus cœleſtis Curia magnis
Inſtruitur, cœlóque frequens celebratur aperto.
Judicium ad magnum, ſummíque ad Judicis ora,
Fulmineæ clangore tubæ tonitrúque tremendus
Angelus ire jubet, Cœli quicunque ſub axe
Aut habitant Terras, aut æquora cærula verrunt,
Emiſsáſque animas, artúſque in Morte rigentes,
Conjungi jubet; & ſolio ſe ſiſtere Chriſti.
Audivit trepidans latéque exterritus Orbis;
Audivit Natura ſui mandata Monarchæ.
Producúntque animas ad mortua corpora retro,
Et Cœlum candens, & nigri regia Ditis.

Felices animæ, quibus
Carnis diſſociabili
Nondum carcere liberis,
Magnum flectere Judicem
Ipſius meritis datum,
Sincerâ applicitis fide,
Factis frugiferâ bonis;
Ipſiúſque ſequacibus
Sanctâ quâ præiit viâ.
Illis renidet Judicis Optimi
Fulgore miro vultus amabilis,
Fulgore quo terret malignos,
Flammivomo metuendus ore.
Hi nempe vultum Judicis expavent,
Non expiato crimine noxii,
Inobſequentes, infideles,
Queis ſua fraus fuit ipſa fraudi.
Illos verendâ Judicis ipſius
Circumvolutos Juſtitiæ togâ,
Ullas reformidare pœnas

Judice

Judice criminibus severo
Et ipse nolit: nec patitur suo
Dudum exsoluti sanguine debiti
Dari ad tribunal actionem,
Crimine jam vacuis iniquam.
Mox liberatis labe fidelibus
Carpenda restant præmia; nec pios
Virtutis imperfectioris
Muneribus vel honore privat.
At nos carne graves, maculosi pectora culpâ,
Qui Fidei varias & Amoris duplice remo
Vix dum eluctamur Carnis Mundíque procellas;
Adventus optate tuos Judéxque Redemptórque,
Heu fessi mediis in fluctibus expectamus,
Sperantes trepidíque simul; virtute vigentes
Auxilii, Rex Christe, tui, nostráque jacentes,
Salvifico pavidum zelo relevante pudorem.
O quum vindicibus venies, Rex Maxime, flammis
Ultima per fontes glomerans incendia Terras;
Génsque inimica tibi, diræ sibi conscia fraudis,
Dia perhorrescens flammantis lumina vultûs,
Emotos int se scopulos cautésque rogabunt
Corruere, & gravibus tritos operire ruinis;
Tunc tua nos hilaret facies, noxáque solutæ
Longùm expectatam Sponsæ da, Christe, coronam,
Téque priùs; lateri te Conjugis individuo
Applicitum, & nullo removendum tempore Sponsum.

HYMNUS

Hymnus X.

Credo in Spiritum Sanctum.

Angeli lucis genus æviternæ,
Seduli cunctis celebrare seclis
Oris arguti liquidâ verendum
Voce Tonantem.
Ista mens fervens, studio innocenter
Invidet vestro Superi. O canori
Ex Chori linguis mihi quis canenti
Commodat unam ?
Spiritus castis animis amici,
Noster à vobis celebrare discat
Spiritum à cujus capit omnis ortum
Spiritus ore.
Vah ! quid appello minùs audientes,
Qui solent raro, Dominíque jussu,
Alloqui in terris animas opacâ
Carne gravatas ?
At vitam & vivo prægnantem Numine mentem,
De te dicturum, Sanctissime Spiritus, à te
Non à quoquam alio sperare & poscere fas est.
Tu mihi quodcunque hoc Genii, numerosque modósque,
Suppeditas ; sanctásque dabis in carmina vires.
Tu nostri populos secli, serósque nepotes,
Virtutem laudésque tuas me vate docebis.
Tu principio, tu fine carens,
Nullo vivis Genitore satus,
Patris & Nati, tecum unius
Numinis, æqua productio stas,
Communis eis, intra trinum
Numen residens, ambobus par,
Simul æternus ; Natúmque Patrémque

Amor

Amor amplectens, ab utroque fluens,
Utrumque petens. O parce precor
Spiritus ingens, si nos humiles
De natura, Deus alme, tua,
Heu! minus aptis loquimur verbis:
Ut quum pingunt pueri nigro
Solis rutilum carbone jubar.
Heu! cur homines imbelle genus
Altum sapimus? cur inscia gens,
Magna ter uni secreta Deo
Cognita soli, deterit audax
Ore pusillo?
Esto satis timidè pennâ tetigisse modestâ
Interiora Dei, nos exteriora sequamur.
Ut formæ incumbens informis materiai,
Vix tandem obscuris ex fœcibus emergentis,
SPIRITUS iste Deus grandes moverit alas,
Claras, vivificas, quarum felice fugârit
Incubitu, lentâ torpens uligine frigus;
Ut modò confusa de mole erepserit ordo,
Lux vincens tenebras, mutans deformia forma.
Ut divo afflatu vitalis primitus aura
Duxerit insuetos per inertia corpora motus.
Utque idem Cœlos divini Spiritus oris
Finxerit, & tremulam longè vibrantia lucem
Sidera, morosam gemmis hilarantia noctem.
Aspice quà Cœli facies se cunque revolvit,
Terrai spatia ingentis, tractúsque liquentes;
Singula quæ Natura parens terrâque marique
Educat, ætherium vitæ carpentis munus:
Quòd spirant, quòd læta vigent, quòd denique vivunt,
Omne tuæ debent, Dominator Spiritus, auræ.
Quid memorem sacram mortali in pectore mentem
Humanam, Mundi sub te moderamine lætam;
Quæ docilem doctæ Naturam accommodat arti:
Virtutes rerum arcanas, elementáque vera,
Intento penetrans oculo rimatur & igne;
Ingentem quocunque jacet sub sidere, certis

Metitur

Metitur ſpatiis & circumnavigat Orbem.
Non illam fugiunt, hui! quantùm immane remoti
Orbes ſiderei, & avis ſtellæ ignotæ,
Per miranda oculo noviter ſpecularia notæ.
At quot mens eadem Genii virtute ſagaci
Invenit, aut ſapiens inventas expolit artes?
Quas leges, quæ jura dedit? quâ provida curâ
Et parat imperium partúmque in pace gubernat?
Horum nil ſine te, Princeps Sapientia, cujus
Eſt quodcunque ſapit, noſtrum eſt quod deſipit omne.
Tua majus iſtis edidit Virtus opus,
Prono ſtupentes quod verentur vertice
Avidíſque ocellis contuentur Angeli.
Quum carne ſemet induit noſtrâ Deus,
A te paratâ. Virginis divæ in ſinu,
Serente nullo, te jubente, coaluit
Semen verendum: tumuit intactæ ferax
Uterus Parentis; puduit ipſa conſcia
Integritatis pariter & fœtûs ſibi,
Quæ nulla ſtare viderat ſimul dies,
Natura jungi poſſe non nôrat priùs.
Certat modeſto cum pudore gaudium,
Cœleſte, mirum, ſe videntis fœminas
Lectam inter omnes, cujus alvus Meſſiæ
Carnem, atque Mundo Soſpitatorem daret.
Sic læta Terræ manè ſubridet pudens,
Aurora vernis purpurans roſis genas;
Solémque radiis advehit ſurgentibus,
Ut Virgo Chriſtum: melior iſta, quæ vehit
Aurora lucis æviternæ Principem.
Te plenus tenero pectore Meſſias,
Penè infans ſuperavit ſapientia
Doctores Phariſæos,
Mirandus ſenibus puer.
Quumque ætas Homini plena fuit Deo,
Tu ſancto capiti cœlitus inſides,
Sub candente columbæ
Formâ gemmeus aſpici.

Pendentem

Pendentem rigida de Cruce roboras,
Torpentem gelidâ morte reſuſcitas,
Et notam petis ædem,
Nati Spiritûs & Patris.
Te verum experta eſt Chriſto ſurgente renaſcens
Læta Patrem, tenerúmque Eccleſia nutritorem.
Læta tibi Chriſti vitis propago, beatos
Debet Apoſtolicis illapſo mentibus ortus.
Hanc à te afflati vates per plurima retro
Secula venturam decantavêre Salutem.
Præconéſque ſacros hodie virtute magiſtrâ
Induis, & latum indutos emittis in Orbem.
Tu fontes miſerans, verbi fera pectora malleo
Conteris; & fraudum ſub iniqua mole gementes,
Lurida peccati quibus obverſatur imago,
Ad rectam revocas mentem; mox ſpéque fidéque
Lætificas, oleóque intus perfundis amoris.
Maxime qui ſacros inſpiras vatibus ignes
Spiritus, & fidis mandas oracula ſervis,
Da verbo Deus alme tuo robúrque, aciémque
Sanctè vulnificam, quæ duræ pectora lamnæ
Intima tranſadigat, penetrétque infixa medullas.
Spirituum Genitor, quàm longùm Numinis altas
Effigies, oríſque tui ſpiramina, mentes
Humanas, pateris nigrum peſſum ire ſub Orcum,
Spiritui ſervas inimico hominúmque tuſque?
Pelle ſalutiferâ lethales luce tenebras;
Vivifico clamore vocans jam Mortis onuſtos
Ante diem laqueis, & noxæ compede ferrea.
Funeſta excutiant redivivæ lintea mentes,
Lazarus ut quondam. Sævos compone tumultus
Queis intus miſerè laniata Eccleſia languet.
Pax tua ſeminecis tot hiantia vulnera claudat,
Et Sponſo admotam poſt bella exacta coronet.

Hymnus XI.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Communionem Sanctorum.

Conjugio Nymphę Christi dignata superbo,
Te canimus summi Nata Nurúsque Dei.
Te Deus æterno sibimet sociavit amore,
Prævertítque tuos Sponsus amore dies.
Nam nondum fueras quum tu dilecta fuisti,
Sis licèt annoso penè coæva Crono.
Non faciem rugis tibi sulcat anilibus ætas,
Nec formæ officiunt sęcula longa tuæ.
Non secus ac Phœbi nullis sordescit ab annis
Aureus, & Phœbes gemmeus oris honos.
En Deus in pulchris defigit vultibus ora,
Deperiens formam quam dedit ipse tibi.
Nam sis fusca licèt, Solísque afflata vapore,
Non decori quidquam defluit indè tuo.
Nec minùs indè places, nec mundi firmior axe
Deperit hinc Sponsi, sed magè crescit amor.
Nam gratum & memorem quos sumas fida labores,
Quos patiaris amans, admonet iste color.
Quem quoties voluit de pulchro protinus ore
Eluit, & Solis purius orbe nites.
Quódque favens vatum commentis Græca vetustas
Delapsum è Cœlo finxit amore Deum,
Tu verum experta es; cujus deductus amore,
In terras supero venit ab axe Deus.
Te Deus humanâ vestitus carne, venustam
Ambivit, simili factus in ore procus.
Utque suum suso firmaret sanguine fœdus,
Quem Deus haud poterat fundere, fudit Homo.

O quot vulneribus, quot telis cæſus, amorem
Quærit amans magnus demeruiſſe tuum?
Quanta tulit, viciſque tuâ diſcrimina causâ?
Quot vitas divi damna cruoris ope?
Téque genúſque tuum, dulciſſima pignora, Mundi
Et Satanæ diris illaqueata dolis,
Proh Deus! æternâ peritura in Morte redemit,
Morte ſuâ Mortis victor & exitium.
Nec ſatis hoc; Mundi functæ certamine Sponſæ
Dux præiens facilem ſternit ad aſtra viam,
Seclorum ſecum ſine limite regnaturæ,
Aſpectu lætæ conjugióque Dei.
En Domini Tellus portat ſua munera Sponſæ,
Et fundit varias prodiga ruris opes,
Frumento tibi canet ager, tibi parturit arbos,
Inque tuos vergunt mitia poma ſinus.
En tibi pallentes violæ, tibi lilia florent,
Calcháque luteolâ ſtat redimita comâ.
Suave tibi ſpirant caſiæ, vaccinia rident,
Miſtáque fragranti cana liguſtra roſâ.
Gramine prata virent, ſylvæ ſunt fronde comantes,
Pellucent rivi lenè fluentis aquæ.
Se tibi circumagunt replicatis flexibus Orbes
Queis debent ſolitas nóxque diéſque vices;
Et ſuccum ſtirpes, munúſque animalia vitæ,
Agricolæ lætos ubere frugis agros.
Quicquid habet tibi fert cornu Natura beato,
Atque tuis nectit florea ſerta comis.
His certè fruitur, nimióque exuberat uſu,
Gens inimica tibi, gens aliena Deo.
Tolle Dei in Sponſam, quo Mundus perſtat, amorem;
Naturæ ſubitò deſtituentur ope.
Et quæcunque Parens curâ Natura tuetur,
Protinus in priſcum ſunt ruitura Chaos.
Quid video? Furiis exercita turba cruentis
En invadit opes, Regia Nympha, tuas.
Pelleris extorris, ter Magni magna Parentis
Cura, Deo proles, uxor amata Deo.

Per ſentes, per ſaxa fugis, per inhoſpita teſqua,
Nuda pedem, fuſis mœſta per ora comis.
Vepretis lacero tellurem verris amictu,
Ipſa rubis teneram dilaniata cutem.
Expulſam inſequitur ſudibus gens impia, ſaxíſque,
Ut ſolet aſpectum ruſtica turba lupum.
Lugentes Nati Matrem pia turba ſequuntur,
Queis dulce eſt ſancta cum Genitrice pati.
Hui! ſcena ut verſis diſcedit partibus ultro;
En ſibimet bellum gens inimica gerit!
Iratíque cadunt per mutua vulnera fures,
ut ſerpentino dente creata ſeges.
Túque fugam ſiſtens pacem diſcordibus oras,
Ad mentémque vocas impia corda piam.
Quinetiam contra luctantibus oſcula figis,
Hi tua compenſant oſcula vulneribus.
Mox hoſtes ſimul, & ſocios in crimine, telis,
Téque magis, ſtulti mente furente petunt.
Quid facis, injiciens inimicis brachia collis,
Amplexúque fovens pectora ſæva pio?
Hæc mea, reſpondes, ſi neſcis, pignora noſco,
Hi mea ſuxerunt ubera ſemiferi.
Commiſeror natos lymphatâ mente furentes,
Materni oblitos uberis, atque ſui.
Hoſtibus immiſtos video noſtríſque, Deíque,
Non paucos noſcit quos Deus ipſe ſuos.
Non me, ſed quam me malus error ſuggerit eſſe,
Ægri animo telis opprobriíſque petunt.
Hoſtilíque ſuum feriunt ſub imagine corpus,
Tranſverſos quoties noxius humor agit.
Parcite, ſi pudor eſt, dicturæ pauca Parenti,
O nondum proles inficiata mihi.
Non inſueta fero ſævas ex hoſtibus iras,
Nec mihi pro Sponſo eſt dura ſubire novum.
Sæva priùs tulimus ſceleroſi jurgia Mundi,
Diluvii juſtis quàm premeretur aquis.
Me juga preſſêrunt Pharii Syríque tyranni;
Multiplici tulimus ſub Babylone jugum

Exilio noſtri conſtant & carcere Faſti,
Et pro Conſulibus vulnera noſtra notant.
Iſta ſub hoſte pati Chriſtum inſectante beatum eſt;
Triſte eſt ab Chriſti talia prole pati.
Triſte Dei & Sponſæ, communia viſcera Natos,
Sanguineâ ſemet dilacerare manu.
Hoſtibus hæc Chriſti contingant monſtra nefandis,
Semper ab ipſius ſint aliena grege.
At non horriferi numen Mahumedis adorans,
(Heu nimium concors in mea fata pecus!
Hos paritur Manes, non Guinea Numinis expers,
Aſtilibúſque Diis India nuda frequens.
Et Furiis nigri non tam malè convenit Orci,
Nec ſimilis ſcindit Tartara dira furor.
At mihi mens placida, & ſancti ſibi conſcia veri,
Ærumnam hanc iſto mitigat alloquio;
Intima Sanctorum noſtrum Communio vinclum,
Non ſemper prodit conſpicienda foràs.
Neſcia germani generis fera prælia miſcent,
Et cæde alternâ pignora noſtra madent.
Aſt eadem, noſtri partes, & myſtica Chriſti
Membra ſub auguſto corpore conveniunt.
Nec ſe pugnantes reſecant, te, Chriſte, precante,
O Pater errori parcito, parce tuis,
Parce ægris, qui ſe qui Te, Matrémque cruentant,
Nec quid agant animo cæcutiente vident.
O quas, ſumme Pater, laudes tibi grata rependam,
Vincula quàm tecum ſancta perenne ligant?
Vincula non avidis obnoxia dentibus ævi,
Vincula non lapſu diſſoluenda Poli.
Magna creatarum ſolventur vincula rerum,
Diſſilient ſolidi ſaxea vincla ſoli,
Quando crepans Tellus, igniti turbine venti,
Flammarum undantes volvet ad aſtra globos.
Cuncta licèt pereant, nunquam compago peribit
Quam ſacer in Chriſti corpore fecit amor.
Hæc unum numerosa fide coëuntia corpus
Membra facit, quanquam diſſociata locis.

Exilio

Scilicet in Christo capite & radice coimus,
Ille omnes unus Spiritus intus alit.
Ille triumphanti pugnantem colligat aulæ,
Et jungens capiti non sinit esse duas.
Nempe duæ Christi Sponsâ coalemus in una,
Heu! cur sorte duæ dividimúrque loco?
Cur dum pace fruens solidâ pars altera nostri
Se beat in patria, luctor in exilio?
En ut Threicius vegrandi mole Tyrannus
Bella movet nostris exitiosa sacris.
En ut agros turmis abscondit, & æquora classe,
Et fundos ferro vastat & igne meos.
Nec minùs hinc nostro vulgus se nomine jactans
Fratribus & Matri perstitit esse nocens.
Sed Christum exosis patiter Christúmque professis
Amborum jaceo præda petenda manu.
O quando emeritam solves, Dux Magne; refigens
Militiæ victor signa vetusta meæ?
Quem tandem, O quem das finem, bone Sponse, laborum?
Quando dabis patriâ, pacéque, téque frui?
Quis mihi nunc fessum demissis cœlitus alis,
Angelus Angelicâ vestiat arte latus?
Effugiam tristes pennis sublata procellas:
Nec nemorum latebras antráque cœca petam:
Nubiferos pennâ penetrabimus alite tractus,
Et celeri superans sidera celsa fugâ,
Tandem Cœlicolæ jungar pars reddita parti,
Quæ Sponsum & requiem Sponsa beata tenet.
Intonuit lævum qui Terram & Sidera nutu
Concutit, & læto diduxit fulgure Cœlum.
Protinus optatas, Cœlo demissus ab alto,
Lævibus aptavit costis sacer Angelus alas,
Grandes, sidereas, quales super ardua Cœli
Seraphicas mentes, Domini mandata ferentes,
Sustentant; queis ætherio fulgore coruscî
Alternant varios plausu trepidante colores.
Continuò mollis per brachia candida pluma
Pullulat; & divo jam tota volucris amore

Emicat

Emicat alta petens, suspensáque remige penna,
Despicit impositas excelsis montibus arces;
Turcarúmque acies Orbis terrore superbæ,
Eminus apparent nigra agmina formicarum.
Aëra jam vacuum pura in regione secantem,
Quem neque concutiunt venti, nec nubila spissant,
Despectare juvat circumvallantia Pontum
Littora, montanos Terram firmantia tractus
Cingula, septifluum totúmque ab origine Nilum.
Nutantem observat, Christi consorte fugatâ,
Pondere sub sceleris Mundum; periturâque regna,
Præcipiti miserè secum commissa ruinâ.
Celsior angustos fines, punctúmque requirit
Dira quod Ambitio ferro divisit & igne.
Altiùs evectæ Mundus procul evanescit,
Jámque sui similis celsæ nihil esse videtur.
At meliora implent oculos spectamina sanctos,
Admiranda quibus nitidum caput inserit astra;
Queis neque vel motus requiem, vel secla vigorem
Imminuunt, numeróve senex intercidit ordo.
Accedítve die splendor, vel nocte recedit.
Conspicit astriferos, non suspicit ampliùs orbes:
Nec spatio languens dubitantes lambit ocellos
Sideris ambiguus fugitanti lumine fulgor;
Sed propiùs stellis circùm radiata, tuetur
Sidereos oculis inconniventibus ignes.
Singula miratur, nec eam tamen ulla morantur;
Altiùs ad cœlum melioráque lumina tendit,
Séque minùs dignos stellarum præterit Orbes,
Subjectúmque premens pulsat pede firmamentum.
Hoc nisu, Scythico citiùs quàm missilis arcu
Torta sagitta volat, levibus volat ocyor Euris.
Et dicto citiùs superam pervenit ad aulam,
Militiæ finem longæ, meritámque viarum.
Illic magnifico veniens excepta triumpho,
Séque triumphanti tandem cum parte rejungens,
A Sponsi amplexu non divellenda pependit.

Hymnus XII.

Remiſsionem peccatorum.

MEns rea culparum. ſed Chriſto vindice pœnis
Libera quas debent Tartara nigra reis;
Pange Redemptori meritas lætiſſima laudes,
Et pariter culpæ tacta pudore tuæ.
Nam quæcunque tulit Sponſæ moriturus amore,
Has illam pœnas commeruiſſe monent.
Ergò admiranti ſua præmia, ſæpe recurſent
Quæ mala commiſit, quæ mala commeruit.
Nec pigeat coram delicta agnoſcere, quanquam
Commemorare piget quæ meminiſſe pudet.
Nunc agè, quàm felix humanæ gentis origo,
Quàm miſera amiſsâ ſtirps bonitate fuit
Dicamus, mox ut ſancta ad primordia ſurgat;
Et mihi principium qui modò finis erit.

Maxima conſpicui ſolus miracula Mundi
Condiderat, ſemétque ſuâ virtute beârat
Omnipotens Opifex, & rerum providus Author.
Spectabat viridi Tellurem veſte recentem
Ipſa recens, gemmis diſtincta micantibus æthra.
Terra puellares violis inſperſa papillas,
Sole ſuperba proco, radiis ambita novellis,
Se totam calido reddamans præbebat amanti.
Floribus implexæ fruges, nucibúſque racemi,
Texebant capiti redimicula feſta decoro;
Frondentéſque comas Zephyri ludente ſuſurro
Mulcebant, comptos veriti turbare capillos.
Limpida mobilibus criſpabant æquora ragis,
Udáque florentes cryſtalla rigantia campos.
Securæ damæque canum, capreæque luporum,

Gramina

Gramina tondebant, & ovis ſociata leoni.
Hæc expers hominis quondam novus Orbis agebat
Otia, pacificum venturo principe regnum.
Obſequiúmque parans; Naturáque divite cornu
Ingenuas Telluris opes & gaudia fundens.
Ecce Deus ſextæ poſtremum & grande diei
Finxit opus, clarum fingentis imagine divâ
Proregem, ſanctámque ſui ſpiraminis auram,
Imperium impreſsit fronti, mentíque ſerenum
Juſtitiæ lumen, magníque Authoris amorem;
Et rerum, dominámque ſui, rectámque voluntatem,
Æternùm lætæ ſpectantem præmia vitæ
Vix venerandam Patris effigiem
Mundo intulerat modò factus Homo,
Protinus almos Natura ſinus
Luxurianti fruge reſolvens,
Hominem ſtringit molli amplexu,
Propriúmque ſibi ſumit alumnum,
Lætâ blandùm fronte renidens.
Quicquid pedibus nova rura terit,
Quicquid pennis æra tranat,
Homini ſubitò properat ſemet
Siſtere Regi, pronóque ſuum
Capite acclinans veneratur herum.
Intepet aër Sole ſereno,
Nullóque caput fervore coquit,
Cui ſola comæ tegmina præſtant:
Tenerámque cutem tantùm innocuo
Simplice tectam nondum penetrans
Frigus adurit. Præbent umbræ
Tecta virentes; præbent facilem
Gramina muſco commiſta thorum.
Fugientis aquæ lenia ſuadent
Murmura ſomnos.
Hæc Pax exteriùs, Pax intus major amici
Numinis, alterníque inter mentémque Deúmque
Prompti aditus, hæréníque ſuo conformis imago
Archetypo; nec eam maculoſæ nubila culpæ

Et

Et malè conſcia mens à Numine disjungebant.
Nam nec opum maleſuada Fames, nec dira Libido,
Nec mortis damnive metus, nec triſtis Egeſtas,
Merſerat indignis Authoris imagine magnâ
Fœcibus intentam circùm cœleſtia mentem,
Nec ſanum maleſanus Amor ſpoliârat Amorem.
At O breviculam Regiæ Dei prolis
Felicitatem! vix bene intulit primum
Pedem beati ſedibus ſacris regni;
Ecce impotenti felle lividus Dæmon
Aggreſſus Hominem Tartari dolis, juſtum
Sed labilem, ſibíque vix adhuc norum,
Ex ſanctitatis arce dejicit magnâ.
Ex qua ſuâmet ipſe fraude depulſus,
Et devolutus axe cœlico nuper,
Deo Deíque imagini movet bellum,
Malum malignus imputans ſibi lucro.
Poſtquam ergò lævæ factus eſt Homo mentis,
Hoſti Parentis impio gerens morem,
Fidei Dei diffiſus, & ſuam rumpens;
Superna ſi qua dona habebat ex pacto,
Suæque non congenita dona Naturæ,
Ex mente lævâ penitùs exulaverunt.
Nam deſtitutam luce cœlicâ mentem
Obnubilavit penè concolor Nocti
Tenebroſus Error, involutus, & centum
Et mille nimbos implicantibus nimbis
Denſus; ſuperſunt nocte pauca ſubluſtri
Lumina, notántque ſanctitatis amiſſæ
Vias amore carnis exoleſcentes.
At Sanctitas & Vita cùm gemellæ ſint,
Primâ interemptâ vix ſoror ſupervixit.
Precariámque jam trahens Homo vitam,
Ægram improbo labore, víxque vitalem,
Præcepit horrens præmium ſceleris Mortem.
Circumſteterunt prodromi horridi Mortis,
Metus, Dolórque, Cura, multiplex Morbus
Memoríſque noxæ conſcius tremor mentis.

Ergò

Ergò audientis Judicis ſui vocem
Per quaſſa ſubiit membra frigidus ſudor:
Novum pudorem ſenſit, & tamen ſerum;
Ficus opacâ perperam comâ velans
Corpus, videnti pectora ima pellucens.
Mox ex fluente mille delicIs horto,
Nè poma Vitæ carperet reus Mortis,
Rubente framea fortis Angeli pulſus
In contumaces, heu! miſer fuit campos,
Qui ſauciati ſæculo darent ægrè
Sudore frugem anhelitúque coctam;
Verſare juſſus uſque pulveris glebas,
Et eſſe pulvis pulverem, ſui donec
Gremio Parentis pulveris revolvatur.
Attamen exilii durum præmiſſa laborem
Dulcibus alloquiis molliverat promiſſio,
Contriturum olim perjurum ſinciput Anguis
Artificis ſcelerum ſemen verendum fœminæ;
Fundamentum ingens, & primula ſemina Mundo
Salvificæ Fidei, miſeranter perditum Deo.
Mox ubi ſurrexit, deductâ in ſanguine culpâ,
Stirps numeroſa virûm, nocens & hæres criminis,
In medio ſcelerum vigilavit turbine ſummi
Provida cura Patris, ſemen verendum protegens.
Hoc, cùm vindicibus periiſſet tota ſub undis
Gens ſcelerata hominum, ſuperneavit æquori.
Hoc Furias, Ægypte, tuas evicit & undas,
Ora Erythræa tuas ſicco penetravit pede.
Per trepidos caſus, per mille pericula belli,
Servitii, exilii, ſeniſque falcem Temporis,
Suſtinuit ſanctum, ſternens obſtantia, ſemen,
Deliquiis placidus, ſuíque fœderis memor,
Ille Author perfecti Hominis, lapſique Redemptor,
Ægra ſalutifero ſanare certus ſemine.
Tandem expectanti ſpe major prodiit Orbi
Virginis abſque viro vir mirus ortus ſemine;
Magna Dei Soboles æterni æterna Parentis,
Regibus ex atavis à Matre ducens ſanguinem.

Ergò

Illa

Ille Dei vitam retinens, Hominísque verendi
Accipiens, veteris Draconis obtrivit caput;
Ipſe lacer ſpinis, clavis ſuffixus adactis,
In cruce ſanguineâ ſupremum agens anhelitum:
Nempe erat in fatis ut noxam Morte piaret,
Utque cruore rubens culpæ foret remiſſio.
Huc genus omne hominum, O conſcia pectora culpæ,
Seu mala blanditur, ſeu cæcâ cuſpide pungit,
Vertite dejectos pudibundi crimine vultus.
Ecce reis Mortis Vitæ mirabilis arbos,
Unde Hominem gladio Genius flammante fugârat,
Nunc nullo prohibente patet; ipſóque vocante
Quíque pari pendit pœnas & crimina lance,
Dignáque qui meritis metitur præmia Judex:
Ille quidem, quam culpa negat mortalibus ægris,
Juſtitiam expectat Juſtus, ſceleríque tremendus;
Nec ſine Juſtitia Deus eſt placabilis ulli.
Aſt idem dat Juſtitiam qui lege ſeverâ
Exigit, & quam dent hîc ſponte carentibus offert.
En Cruci fixus manibus benignè
Porrigit Chriſtus meritum cruentis,
Vulneratarum manuum ſuperbo
Murice tinctum.
En reos, quaqua patet Orbis, omnes
Hinc & hinc tenſis avet implicare
Brachiis, quicunque ſuo gravantur
Crimine feſſi.
Brachia ex dira Cruce mox refixa
Curvat amplexu miſeratus, fovétque
Pectori appreſſos ſua deſerentes
Crimina fontes.
Cernitis? ut placido meriti Paciſque vapore
Ante thronum ſumet terſanctíque ora Parentis
Agnus, chara Deo nullíque obnoxia labi
Victima, pro lapſo ſola acceptiſſima Mundo.
Victima cui pretio gemmati gloria Cœli
Et cum cœlicolis totus non certet Olympus.
Hinc nobis meriti, nobis hinc flumen amoris

Fonte

Fonte fluit largo: nec tantùm hinc ditiur illa
Sontibus exoptata remissio peccatorum,
Sed licèt indignis virtutum præmia digna,
Vitáque Justitiâ Christi reparata recurrit.
At hæc quibusvis non datur reis Salus,
Sed pœnitentibus reis,
Credentibúsque. Nec repentè credere
Aut pœnitere dixerim,
Qui se resignat, Christe, Justitiæ tuæ,
Pravúsque negligit suam.
Vitiíque lugens & simul fovens malum,
Feciſſe mœret & facit.
Quasi lachrymarum rore peccatum riget,
Ut lætiùs repullulet.
Sed illa demum dicitur Fides mihi,
Vera illa Pœnitentia,
Quum nempe Credens per Fidem sit obsequens,
Vitiúmque plangens deserit.
Nec se redemptum, nè quidem per somnium,
Sine Sanctitate cogitat.
Nate Deo, domitor tenebrosi Principis Orci,
Me tua victorem faciat victoria tecum.
Ut victor virtute tuâ capita horrida cædam
Peccati, sine te non exsuperabilis Hydræ.
Sed quia devictâ labes manet improba culpâ,
(Heu carni connata hærénsque in sanguine labes)
Parce reo, Clemens Judex, ignoscito lapso:
Quámque nego mihimet veniam concede pudenti.

HYMNUS

Hymnus XIII.

Resurrectionem carnis & vitam æternam. Amen.

In vallem fervente animo delatus eandem
Quam pius Ezekiel, exsuccis ossibus albam;
Prisca recognoscens lachrymosi signa duelli,
Spectator tacitus mortali in sorte legebam
Ipse meam, Mortique aut ore aut vulnere vitam
Reddendam; quàm non nocent caruisse sepulchro,
Nec Morti esse locum proprium minùs aëra terta,
Protinus humanâ major vox aëra totum
Implevit, sonitu quatiens loca sola tremendo;
Exuvias tristes animarum in morte silentûm
Cœlitus appellans; O lætis ossa medullis
Jamdudum vacua, & longis arentia seclis,
Vivite; Sic jussit vitæ Maximus Author.
Territus obrigui, steterántque horrore capilli.
Ecce autem subitò (dictu mirabile monstrum)
Mortua tervifico latè concussa tremore,
Sponte suâ cumulis emota albentibus ossa;
Pulveris ut surgit, nullo cernente moventem,
Unguibus effossus talpæ scalpentis acervus,
Mox discreta suis accedunt singula passim
Corporibus, propriisque apponunt artubus artus.
Sicca priùs pingues ossa implevére medullæ;
Et modò tendinibus nervísque astricta coivit
Carnea compages, cute mox vestita novellâ.
Cætera materiam vel perficientia formam,
Artificis magni verbo redière jubentis.
Nam simulac animæ jacuêre capacia priscæ
Corpora, quadruplici misit de cardine ventos,

Queis

Queis Sacer addiderat vitalem Spiritus auram.
His afflata virûm surgit rediviva propago.
Suspiciunt lucem insuetam, semétque, diémque
Mirantur fremitu denso, vocésque recentes
Confuso strepitu miscent exercitus ingens;
Ut fremit insolitas emissum examen in auras,
Et procul incussos imitatur murmure fluctus.
Non hæc vetusti perperam spectamina
Cecinêre vates. Hæc Deus præludia
Dedit supremæ, carnis & animæ simul,
Post seculorum plurium divortia,
Coitionis; hæc imago rem præit.
Aliquam dederunt anchoram tantæ Spei
Illi Prophetæ precibus aut Apostoli,
Hominisve jussu agentis in Terris Dei,
Ætheris ad auras evocati mortui.
Aliúdque certo certius pignus fuit
Reditionis mentis ad carnem ultimæ,
Quòd se approbavit Mortis & Vitæ arbitrum
Christus supremum quando agebat halitum,
Subitò sepulchris excitans ab intimis
Rediviva membra capitis augusti nece;
Vitæ recludens & sibi & suis fores.
Cætera mox vitam capitis pia signa sequentur,
Deteriore sui sub Morte jacentia parte;
Pars melior vivit, vigilat, regnátque beata,
Dum sequior facilem carpit sub pulvere somnum;
Quem facilè excutiet: limes nunc ultimus instat,
Quando novo tœâ gaudebit in Orbe salute
Totus homo, & Christum cognatâ in carne videbit
Læta Caro, divo tandem assimilata Magistro.
Nec miti tamen hâc mali resurgent
Virtute, assimilante membra Christo
Divino capiti; at gravi citante
Ad magnum imperio reos tribunal;
Quum turpes animas satelles Orci,
Flammis sulphurei ignis ustulatas,
Jussus relliquiis suis reponet,

Peccati

Peccati ſociis, brevíque pœnæ
Triſti conjugio ſimul futuris.
Surgite, ſurgite; jam pulvereis
Languida ſtratis membra levate,
Populi gelidâ morte ſoluti.
Vocat ecce bonos paritérque malos,
Solis ab Ortu ad latus Heſperium,
Diva tremendum buccina clangens.
Vocat ipſe ambos, conſpiciendus
Chriſtus utriſque, Judex iſtis,
Vindex aliis. Reduces animæ,
Pridem poſitas carnis amicæ
Sumite veſtes: en reparatæ,
Rursúmque novæ, propriæ vobis
Aptæque ſedent. Quid ceſſatis?
Jam vos omnes rupiſſe moras,
Jam vos Domino in nube ſedenti
Siſtere oportuit: agite, accurrite,
Buccina clangit.
Non ego Seraphicæ ſi detur jungere menti
Angelicam linguam, ſupremæ immenſa diei
Judicia, & juſtum formidandúmque tribunal,
Aut auſim aut digno poſſim deſcribere verſu;
Nec Deus humanas jubet hoc contendere vires.
Præſtiterit magnam ante diem cum Rege paciſci,
Qui paribus referet pœnas & præmia factis.
Quámque fide nixis & quam ſervantibus æqui
Promiſit, jam jam amplexu firmare Salutem,
Sanctè præproperos, prælibantéſque repoſtum,
Poſt exacta piis Mundi certamina, nectar.
Suſpicite intrepidi magnum, pia corda, tribunal;
Quàm bonus & felix, quàm lætâ fronte ſerenus,
Vitam pacifero vobis pronunciet ore,
Sedem auguſtam implens veſter pro Judice Vindex.
Huc ait, O noſtro dilecta propago Parenti
Scandite, Cœlorum vos Regia poſtulat ingens,
Nobíſcum ſecli ſine limite regnaturos.
Regia principio cui non contenderit ævi,

Aut

Aut illa inferior gemmis radiata coruscis,
Aut inconcusso stabilis fundamine Tellus.
Nam neque stabat adhuc Tellus, nec sidera stantem
Irrequieta citò circum ibant concita gyro,
Quum vobis hæc nata Salus, hæc parta corona,
Qui dapibus nostram esuriem relevastis, & ora
Sicca siti potu vires renovante rigâstis,
Membráque fovistis vestrâ frigentia lanâ.
Vos patriâ extorrem tecto excepistis amico.
Invalido vobis operam dare decumbenti
Cura fuit, vinclisque gravi, vel carcere clauso.
Hæc membris benefacta caput sibi reddita ducit,
Immemor offensæ, tantùm pia facta recordans;
Pro quibus æternæ reddit diadema Salutis,
Angustæque operæ largissima præmia pendit,
Præmia non alli nisi danti debita Christo.

An sacro quisquam mihi candidato
Perpetis vitæ, superúmque regni,
Oggerat vitæ fragilis nocivum
Cœcus amorem?
Hinc procul si quis mihi fumivendus
Venditat Mundi vacuos honores,
Qui quidem adverso varios reflectunt
Sole colores,
Sed citò pallent fugiúntque, pictæ
Iridis ritu, simul aura glaucam
Dispulit nubem, fluido smaragdo &
Murice tinctam.
Nil opum luxum moror invidendum,
Queis bonus nemo fuit & beatus;
Prægrave in summóque hominis periclo inutile pondus.
Quod licèt pigrum celeri volatu
Deserit nos; papilionis instar,
Qui priùs vermis, subitò novellis
Evolat alis.
Me nec aggesto gravis Orbis auro,
Nec coronarum cumuli morentur,

Ingredi vitam cupidum beatâ
Morte perennem.
O tércque quatérque, iterúmque quater
Me felicem, quando ſolutus
Carnis opacæ pondere terreo,
Linquam hoſpitium, repetámque domum,
Sublimè volans nuper ſumptis
Arduus alis ; Angelus animo,
Corpore pulvis.
Felicem iterum quando recoctos
Igne ſupremo repetens cineres,
Nec ut antè gravi compede preſſus,
Mentis Chriſtum carniſque oculis,
Uno intuitu totus cernam,
Paritérque Patrem Nati in facie.
Quando vitam morte carentem
Mihi ſpirabit Spiritus idem
Qui magnam animam tibi ſub tumuli
Mole rigenti, Chriſte, reduxit :
Nec pòſſit aliam niſi, Chriſte, tuam,
Sine fine ullo mihi continget
Vivere vitam.
Quid Mortis moror ampliùs
Clavem ſalvificam, quæ reſeret mihi
Vitæ perpetis oſtia ?
Dum ſupra rigidas jámque mihi fores
Clauſas lata patet via,
Quà pennâ ad patriam præpete ſubvehar,
Lentæ non patiens moræ ?
Jam ſeſe Angelicis cœtibus inſerit
Mens alis volucris Spei ;
Jam muros Solymæ conſpicit aureos,
Fundamenta adamantina,
Bis ſenáſque ſacri jam ſtupet oppidi
Gemmis fulgere ſingulis
Portas ; útque roſis dulce rubens dies
Noctis non patitur vices,
Intra urbis nitidæ lucida mœnia.

Jam

Jam festos agitans dies
Queis Agni celebrant fœdera Cœlites
Cum Sponsâ genialia,
Canto cum celebri Cœlicolûm choro
Lætum gratus Hymen; Deo
Nexam conjugio non resolubili
Humani generis decus,
Nympham, cæde suâ quam procus ambiit;
Nympham cui speciosius
Formosâ facie candida mens nitet:
Quamvis candidior nive,
Quamvis vere novo verna magis micet
Florentis facies Nurus,
Cui semet socerum constituit Deus,
Agni cuncta regens Pater.
At splendet roseâ Conjuge puriùs
Sponsus, quo radiante Sol
Extinctus latet, ut Sole oriente amant
Evanescere sidera.
O quàm te memorem par soboles Patri!
Sponsæ magna Salus tuæ,
Quam fuso redimis sanguine perditam,
Partâmque associas tibi.
Effer te thalamo, Sponse, sereniùs
Attollens placidum jubar,
Quàm pulsis hilarat lucida nubilis
Fax Mundi croceum diem.
Vultum pande tuis faustus amabilem;
Tanto concilians magis
Flagranti populos obsequio tibi,
Quòd belli facie minas
Misces pacificis magnanimus notis.
Conspirant Amor & Metus
Sceptro corda tui subjicere Imperi,
O cujus venerabilem
Currum Justitiæ juncta trahit Salus!
Hoc lætus recinens Hymen
Magnis Conjugibus, jam videor mihi

Ingredi vitam cupidum beatâ
Morte perennem.
O térque quatérque, iterúmque quater
Me felicem, quando ſolutus
Carnis opacæ pondere terreo,
Linquam hoſpitium, repetámque domum,
Sublimè volans nuper ſumptis
Arduus alis ; Angelus animo,
Corpore pulvis.
Felicem iterum quando recoctos
Igne ſupremo repetens cineres,
Nec ut antè gravi compede preſſus,
Mentis Chriſtum carniſque oculis,
Uno intuitu totus cernam,
Paritérque Patrem Nati in facie.
Quando vitam morte carentem
Mihi ſpirabit Spiritus idem
Qui magnam animam tibi ſub tumuli
Mole rigenti, Chriſte, reduxit :
Nec pòſſit aliam niſi, Chriſte, tuam,
Sine fine ullo mihi continget
Vivere vitam.
Quid Mortis moror ampliùs
Clavem ſalvificam, quæ referet mihi
Vitæ perpetis oſtia ?
Dum ſupra rigidas jámque mihi fores
Clauſas lata patet via,
Quà pennâ ad patriam præpete ſubvehar,
Lentæ non patiens moræ ?
Jam ſeſe Angelicis cœtibus inſerit
Mens alis volucris Spei ;
Jam muros Solymæ conſpicit aureos,
Fundamenta adamantina,
Bis ſenáſque ſacri jam ſtupet oppidi
Gemmis fulgere ſingulis
Portas ; útque roſis dulce rubens dies
Noctis non patitur vices,
Intra urbis nitidæ lucida mœnia,

Jam

Jam festos agitans dies
Queis Agni celebrant fœdera Cœlites
Cum Sponsâ genialia,
Canto cum celebri Cœlicolûm choro
Lætum gratus Hymen; Deo
Nexam conjugio non resolubili
Humani generis decus,
Nympham, cæde suâ quam procus ambiit;
Nympham cui speciosius
Formosâ facie candida mens nitet:
Quamvis candidior nive,
Quamvis vere novo verna magis micet
Florentis facies Nurus,
Cui semet socerum constituit Deus,
Agni cuncta regens Pater.
At splendet roseâ Conjuge puriùs
Sponsus, quo radiante Sol
Extinctus latet, ut Sole oriente amant
Evanescere sidera.
O quàm te memorem par soboles Patri!
Sponsæ magna Salus tuæ,
Quam fuso redimis sanguine perditam,
Partámque associas tibi.
Effer te thalamo, Sponse, sereniùs
Attollens placidum jubar,
Quàm pulsis hilarat lucida nubilis
Fax Mundi croceum diem.
Vultum pande tuis faustus amabilem;
Tanto concilians magis
Flagranti populos obsequio tibi,
Quòd belli facie minas
Misces pacificis magnanimus notis.
Conspirant Amor & Metus
Sceptro corda tui subjicere Imperi,
O cujus venerabilem
Currum Justitiæ juncta trahit Salus!
Hoc lætus recinens Hymen
Magnis Conjugibus, jam videor mihi

Succos ducere nectaris,
Accumbens Epulis Regis Olympici,
Sponsali nitidus togâ,
Prævertens animo proxima præmia.
O vos carnis & improbi
Peccati maculis agmina libera,
Aulæ Cœlitis incolæ,
Quorum sorte brevi & colloquio fruar;
Mecum laude sacrâ Patrem
Magnum Conjugii tollite pronubum:
Cum Nato nece qui suâ
Despondet miseros nos homines sibi.
Cum sancto quoque Spiritu,
Qui turpes Domini sanguine nos lavat;
Æternis ut amoribus
Cùm lotâ societ Conjuge Messiam.

P O E M A T U M

Libellus Secundus.

ECCLESIÆ GEMITUS,

Proximo post piaculare Regicidium mense, *Londini* primum editi.

Huic Editioni accesserunt alia ejusdem aut cognati argumenti.

Νίκη κακῦργαν δυσυχεῖ καὶν εὐτυχῆ.

CANTABRIGIÆ,
Prostant venales apud *Johan. Creed* Bibliopolam. 1669.

MERICO CASAUBONO

Magni Parentis Magno Filio S.

JAmdudum, Vir Clarissime, in lucem denuò prodire jubes hoc opusculum, quod tanquam ἑῶλον literatis iterum apponere non sustinebam. Sed cùm hæc quantumvis exigua erudito tuo palato sapiant, & ea tibi placeat ab interitu vindicari qui ipsis ex exemplarium penuriâ imminet, non potuit mihi displicere quod tibi semel placuit: Neque verò illis displicere verebor qui scelerum suorum memoriam refricari indignantur, dum ipsi scelerosis incœptis

ſuis inſiſtere nunquam deſinunt, novos identidem motus cientes; & in publicæ rei trepidationibus, ad patriæ & mitiſsimi Regis exitium, cujus clementiæ debent quòd etiam vivunt, continenter arrecti. Sciant malè feriati homines qui parricidium & ſacrilegia ut heroicæ virtutis ἀνδραγαθήματα attonito Orbi oſtentabant, fortunâ dulci ebrii; non defuiſſe Deo ſuos teſtes, qui in florentiſsimo perduellium regno triumphans ſcelus condigno ſtigmate inurere auſi ſint, vitæ ſuæ ſecuri; & poſſe veritatem atque juſtitiam, etiam carmine propugnari. Equidem dum animo volvens tot ſcelerum monſtra pietatis colore fucata longas noctes inſomnis agerem, zelo Dei flagrans, & juſtiſsimâ irâ æſtuans; ſenſi

carminum

carminum venam incaleſcere & ſpontè eruptionem facere. Sivi ingenuum impetum excurrere, eò liberiùs & longiùs, quia fluente carmine dolor ſenſim detumeſcebat; Et omnino opus erat poëticum vigorem advocare qui legitimæ ultionis tela robuſtiùs intorqueret. Hîc igitur ardori meo pro domo Dei indigniſsimè proculcata, non Theatrico plauſui litavi. Quem ut nè aucuper ſatis erit meminiſſe, mihi contiguum habitare *Mericum Caſaubonum*, multiplicis literaturæ penum, cui pro multis magníſque operibus eò plùs gloriæ hæret quò de gloria minùs eſt ſollicitus. Illa enim (ſcias eſſe umbram) proſequentem fugit, fugientem ſequitur. Certè ex te vicino hoc gloriæ uſucapio, quod nemo

jam

jam negaverit me ab erudito non procul abeſſe. Fortè etiam ut quædam ſemina ſolum fœcundant, & adnaſcentes plantas vegetas & felices faciunt, mihi profuerit in eodem tecum ſolo eſſe conſitum. Eſt mihi, ſítque diu precor, vicinia tua ſolatio, virtus exemplo, & amicitia decori. Vale.

Lectori

Lectori meo S.

On abs re vereor, Mi Lector, nè concitatior horum carminum ſtylus tibi me alium exhibeat quàm mei mores ferunt, & tota vitæ meæ ratio. Fortè non videbuntur vehementes iſti ſpiritus hominem ſapere à turba intra ſemet recedentem, alienis vix unquam ſeſe implicantem, adverſum nemini. Nec deerunt qui diras quibus in parricidas animoſiùs detonui meæ de Pace animi Diatribæ plurimùm diſconvenire pronuncient. In qua tamen & ingenii & conſuetudinis meæ characterem agnoſcunt omnes qui me nôrunt. Ego certè à Magno Magiſtro noſtro quàm ſit mitis & humilis corde diſcere, & id alios tum verbo tum exemplo docere ſtudui & ſtudeo. Quinetiam & Philoſophiâ & Experientiâ magiſtrâ didici, cùm res humanæ omnes ſtultitiæ litent, & quædam ſint temporum quaſi vertigines quibus popularis ſtultitia in inſaniam & rabiem efferveſcit, ſapientis eſſe & ſuæ quieti conſulentis μὴ ἀντιπνέειν ἀνέμοισι, *& Epi-*

demicæ

demicæ maniæ morbidos impetus ex ſanæ mentis arce quaſi ex ſublimiori ſphærâ contemplari: Quibus qui nimis ſolicitè adverſatur eorum ipſe fit pars, vorticibus torrentium ſimilis, qui filo fluminis contracuntes ipſo filo magis exæſtuant, & mox magno fluento ſeſe tradunt. Didici etiam erranti viam leniter eſſe commonſtrandam; & fruſtrà quem priùs fuſtibus contuderis, à te poſtea ſalutaribus documentis inſtitui. Hæc inquam mihi minimè ſunt nova, ſed nullum horum me in hac causa Dei ſegniorem aut remiſſiorem facere debuit. Nam quod me attinet, qui qualem me Deo approbem quàm quid homines de me opinentur magis laboro, mihimet probè ſum conſcius auream illam animi pacem, quam ſcriptis orno & vitâ tueor, iſtâ vehementiâ apud me neutiquam interturbatam eſſe. Illâ enim demum ſplendidiſſimè fruimur quando quod officii nobis incumbit præſtamus diligenter. Fateor quidem me zelo Dei ſuperatum, & ſacræ iræ imparem, publicam & Dei & Eccleſiæ injuriam acriùs ultum iviſſe, inſuper habitis Philoſophiæ præceptis, quæ ſapientem jubent quum publicè & ſine ſpe remedii deſipitur, ſibimet ſapere, & plebeiam amentiam commiſeratione & lento riſu excipere. Quam quidem

regulam

regulam in publicis aliis paroxysmis egregiè observavi, mecum habitans dum alii populari æstu abripiebantur. Sed transversam egit plebis Anglicanæ colluviem ea phrenesis ad recta consilia obsurdescens ut cùm ægros inutile fuerit alloqui, sanis injustum fuerit silere; celsiore sapientiâ quam Philosophi non consuluerunt discipulos suos docente Deum toto pectore diligendum, & læsam ejus gloriam totis viribus esse vindicandam. Quæ flagitiorum prodigia longa illa in Anglia defectio pepererit, omnes audiverunt, nos spectavimus; Regem sanctissimum à subditis suis obtruncatum, Legitimum hæredem ad necem quæsitum, totámque adeò stirpem regiam exhæredatam & regno exactam, Regi fideles contrucidatos, aut patrimoniis exutos, Religionem violatam, Ecclesiam proculcatam, Leges refixas, jus datum sceleri, præmia criminibus, supplicia virtuti. Hos Manes viginti ferme annis passa est Anglia.

Objiciat aliquis, Stupet hæc qui jam post terga reliquit Sexaginta annos? Nonne te rerum usus & aliqua rerum ante te gestarum cognitio minùs attonitum facere debuerint ad regnantis criminis impotentiam, & jurium divinorum atque humanorum interversionem; res tritas & in Mundi scenam sæpiùs productas?

ductas? Reponere posſim peculiarem furoris Genium defectionem illam exagitaviſſe nulli ante ætati ſpectatum. Sed duo ſunt quæ vel ſedatiſſimi pectoris homini (modò cordato & bono) perſuaſerint iſtius ævi & loci crimina non debuiſſe ſilentio excipi, aut ſine acerrima indignatione oppugnari. Unum eſt quod ſceleroſa iſta immanitas zelo domûs Dei tota ſe tuetur, & Deo, imò ipſi Deo ſua ſcelera imputat: Enimvero teterrimum omnium poſt Chriſti cædem parricidium cum exquiſitiſſimo precum & jejuniorum apparatu perpetratum fuit; & re confectâ ſplendidiſſimâ gratiarum adversùs Deum pompâ coronatum. Omnes parricidii authores, patroni, adminiſtri, meram crepabant ſanctimoniam, & propheticos ſpiritus anhelabant; ipſi interibi rem geſtam ſcriptis ad ſidera tollentes, & omnibus populis ut pietatis & juſtitiæ ſacrum exemplar exhibentes imitandam. Nullum unquam ſacrificium cum ſeveriore ſanctitatis ceremoniâ & oſtentatione celebratum fuit. Alterum eſt quòd hinc maxima toti Eccleſiæ Chriſtianæ conflatur invidia; cùm malevoli homines nos eodem cum lymphaticis iſtis ſicariis faſce compingant: Unde Chriſti Religio miſerè traducitur, eámque profitentes in ultimum diſcrimen adducuntur; quippe Regi-

bus

bus ſuis exhibiti ut Regiæ dignitatis inimici, Legum everſores, Regum mactatores, idem ubique quod in Anglia tentaturi quoties eos ad idem audendum facilitas invitaverit. Tum ſcelus heu! nimium diu felix, quod apud viles animas pro virtute habetur, non leve erat ejuſdem farinæ hominibus ad conſimile facinus authoramentum.

Duabus iſtis rationibus adductus Religionem & Eccleſiam mihi vindicandas eſſe duxi, quod ſolutâ potiſsimùm oratione pleniùs exequi conatus ſum Gallicâ Diatribâ juſti voluminis & libello cui titulus eſt Clamor Regii ſanguinis ad Cœlum, *in cujus calce* Oden *ad* Salmaſium, *&* Iambum *ad* Miltonum *appoſueram, quæ cum aliis ejuſdem argumenti verſibus hîc etiam exhibeo. Quòd ſtimulis non pepercerim, & omnem vehementiam nimis lenem exiſtimaverim quâ tam criminoſa & portentoſa veſania ſugillaretur, nemo opinor qui Dei gloriæ zelo accenditur, Religionémque ſartam tectam & Eccleſiam cupit incolumem, me inclementis & immoderati animi reum faciet. Quid nobis reliquum erat, rebus perduellium proſperè fluentibus, & parricidio triumphante, latámque portam ad Regum Majeſtatem violandam omnibus populis aperiente, quàm ut*

grandem

grandem invidiam Religioni creatam, & paucorum hypocritarum crimine bonorum omnium capitibus impendens periculum quàm maximâ aversatione & detestatione amoliremur.

Hoc si cum aliquo fructu à me tentatum est, est quòd Deo Optimo Maximo magnas habeam gratias, cui me totum debeo, & hanc operam ex animo consecro.

ECCLESIÆ GEMITUS

Sub Fanatica tyrannide, in Anglia impotenter bacchante atque ſæviente.

METRUM I.

Quàm triſte Cœli pallet Occiduum latus!
Imóque ſidens axe Juſtitiæ jubar,
Vix nube ſacrum proferens piceâ caput,
Orbi tenebras ſempiternas præparat,
Lucem peroſo ſeculo lucem invidens.
En longa brevibus umbra de gurguſtiis,
Et parva quæque magna mentitur pavor.
Ferale ſtridunt Noctis infernæ ſtriges,
Lymphata ſtolidæ plebis Ignorantia,
Diſcordia ungue ſecta pectus livido,
Erroris œſtro falſa Religio furens,
Diriſque raucæ devovent ululatibus
Solem cadentem; qui licèt nitidum jubar
Obſeſſus atris hinc & hinc vaporibus,
In margine imo purus & totus micat,

Radióſque in atrâ nube vibrat aureos.
Hunc Sponſa Chriſti quâ nihil venuſtius
Viget Orbe, pulchra, ſed peruſta ſolibus,
Intenta rectis totum ocellis excipit;
Qualis Tonantis Aquila Titanem ſolet
Fixa irretorto contueri lumine.
Hoc nempe cunctis reſtat exutæ bonis,
Cœleſte lumen; prædia, argentum, domos,
Ipsámque Terram perditæ, penè aërem,
Catharorum ademit barbara Reformatio,
Cœlum reliquit. Orbis obtineant opes;
Eccleſia merâ ſpe fidéque ſe beet.
Vivat ſupernæ nuda lucis pabulo.
Extorris, exul, improbæ tyrannidis
Opima nuper præda, mox ludibrium,
Decora largis ora fletibus rigans,
Cruore ſtillans, ictibúſque lurida,
Sciſſam vepretis in fugâ pallam trahens,
Laceróſque crines; per loca aſpera, ſquallida,
Nullo pede errat, ſola, deſerto magis
Deſerta Nympha. Feſſa tandem humi ſedet,
Ad veteris orni caudicem retorridum,
In quo vigorem ſera lux & languida
Refractione molliter recolligit.
Hîc calidum ab imo pectoris gemitum trahens,
Dilecto in Aſtro mœſta figens lumina,
Sic fatur. Itáne deſtitutæ ſuſtines
Latere, divi magna fax Evangeli?
O ſola virtus quâ movemur, quâ ſumus,
Hujúſque vitæ cauſa, & ejuſdem brevi
Finis futura! Sol ſacer longùm Vale,
Per quem valemus, quo cadente extinguimur.
Bene eſt, neci me dedet occaſus tuus,
Sed reddet idem quam mihi vitam rapit.
Nuſquam fugis; te viva te moriens ſequar,
Ubicunque fulges: quâ præis ſequor impigra.
Jam jam reducto carnis ægro pondere,
Mobilibus hærent hinc & indè brachiis

Plum-

Plumæ volucres; gestit animus aliger
Noctis supremum limitem prætervehi,
Prævertere Euros, assequi elapsum diem
Pernice pennâ; tota jam emineo foras;
Agè Mors amica, jam reclude carceres,
Liceat volare: qualis arcu Serico
Excussa arundo properat, & stridens secat
Superátque nubes, in polum me torqueat
Robustus extremi impetus suspirii.
Mox ter quaternis cincta gemmatum caput
Rutilabo stellis, Sole limpido, & meo,
Amicta, trabeáque involuta luminis;
Quid loquor, amicta? tota solida lux ero.
Calcabo victrix Lunam & Errorem vagum;
Pedibus premetur Nox & Inconstantia.
Deliquia Phœbi non mihi dabunt metus,
Præsaga pestis & duelli lugubris,
Phœbéve facies varia ventorum arbitra;
Nec me furentes æstibus reciprocis
Ultro citróque Fluctus aut Tempus ferent.
Pacem Deúmque ter beata possidens,
Secura degam quid sub axe mobili
Turbetur infra, quæ tremendùm mugiant
Tonitrua dira, schismata, armorum fragor;
Totus procellis, me profectâ, turbidus
Horrebit æther, Orbis ingens sanguine
Stagnabit atro; móxque non numerabiles
Oestro impotente factiones percitæ,
Iris frementes mutuis, Ecclesiæ
Inane nomen ferro & igne divident
Post rem remotam. Proh scelus, monstrum, nefas,
Pietatis umbra colitur, ipsa vapulat!
Pietas quibusdam tota prominet foris,
Micare digitis docta gesticulantibus,
Canora, nitida, comis, exteriùs placens,
Sed sub doloso pallæ honore splendidæ
Jejuna & ægra; ut viva solo cortice
Latè comantes alta ramos porrigit

Annosa fagus, intus exesa & cava.
Exilis aliis colitur in merum nihil
Pietas recocta, larva meteori levis,
Enervis, exsucca, absque corpore impotens
Animam tueri, non ferens oculos vapor,
Lychnóque flamma humore defecto evolans.
Pietatis hujus otiosæ, umbratilis,
Vexilla adorant improbè, & stipendia
Palàm merentur, impotens opum Fames,
Ambitio præceps, insolens Rapacitas,
Libido, cædes, omne fas versùm & nefas,
Genus omne Fraudes; nil inausum linquitur,
Animante fraudes hæresi fanatica
Ad prava, per quam cuique quod libet licet,
Et ipsa sceleri sanctitas prætenditur.
En perduelles, sacrilegi sicarii,
Veteres Prophetas sanctitate provocant.
Cædes parentum, justa queis lex culeum
Crucémque debet, perpetrantur sobriè;
Pietas vocantur, his ad astra tenditur.
Nil tam nefandum, nil ità est sævum aut atrox,
Quo non peracta sanguine Reformatio
Utatur, aut quod non probet; nil non placet
Zelo impudente sanctitatis oblitum.
Dum sic dolori Nympha fletibus litat,
Et verba gemitu tertiata vix fluunt,
Ecce è propinquo protinus luco advolans
Inopina bruto militum turba impetu
Mediam querelam rupit, & queri vetans
Queri coegit, quæstibus causam ferens.
Talis salutem proditor Jesu dedit,
Dandóque ademit: Talis illa militum
Judam secuta dira sæviit cohors;
Illa ausa Sponso afferre sacrilegas manus,
Hæc ausa Sponsæ: hoc differunt quòd unicum
Turba illa Judam habebat, ista plurimos.
Sed proh Deus! qui tandem, & unde? quod genus?
Circumforanea inertium erronum manus

Temere

Temere coacta, qui laboris tædio
Prædæque amore à malleis & follibus
Ad fabricandam convolant Ecclesiam.
Vates novelli ex plebe sellularia,
Docti in tabernâ subulæ sutoriæ
Ecclesiæ quæ solda segmenta assuant.
Heu quos tumultus, quas dedit tragœdias
Zeli dolosi candidus gypso Furor!
Oestróque fervens scilicet Prophetico
Desidia plebis, bilis atræ lurido
Incocta succo: temperamen improbum!
Ignita pulsans corda & emotum caput.
Ergò igne, ferro, cædibus promiscuis,
Parant nefandi Messiæ mitissimo
Immite regnum, prout sibi finxit Furor.
Ecclesiámque uti reforment, vah scelus!
Jugulant parentem, si modò hostium est parens.
Quales senile guttur hauserunt patris,
Mentem venenis efferatæ Colchicis,
Peliæ puellæ, fundere effœtum senis
Juvenémque aventes sanguinem refundere:
Hui dira Pietas habilis in solum nefas,
Adimere vitam prompta, reddere impotens!
Sacra & profana corruunt promiscuè;
Jus ense stricto dicitur, leges silent
Ubi jura dat vis, arma sola altùm sonant:
Quicquid timetur, júsque servat, impii
Injurioso milites pede prorunt.
Nempe ut verendi sacra lex Evangelii
Armis latronum sola in Orbe sit potens,
Violatur ante; & militat scelus Deo.
Rex ergò quo nil sanctius & augustius
Indulsit Orbi Maximus rerum Parens,
Horresco referens! mille post ludibria,
Heu sacra diro colla cultro præbuit.
Hìc Musa vasto mersa luctûs gurgite
Paulùm resiste; non tenet numeros dolor.

METRUM II.

AT turba zelo percita stolido, efforo,
Duces sequuntur altioris ingenI,
Tetricos Tyrannos, subdolum & sævum genus,
Adulterina sanctitatis infula
Obnubilatos artifex scelerum caput;
Nullo putantes arbitro mortalia
Temere rotari, & utile Dominis Deum
A plebe credi, credere ipsis noxium,
Simulare prudens, ut sonus sine re Deus
Flectendo frænum sit popello simplici,
Quocumque avaræ placuerit tyrannidi.
O quot cachinnos clam Tyranni mussitant!
Quum jussa telis objicit stultum caput,
Animásque viles prodigit plebs obsequens,
Pietatis ergô; dum student cuti, gulæ,
Lucro, popinis, & vagæ libidini,
Læti saginis de cruore publico,
Et Atheorum militat cupidini
Zelo tumentis bruta turbæ amentia.
En ut popelli colla sublimes premunt,
Risu superbi; qualis ursi morio
Nare alligati simius dorso insidet,
Vanúmque vulgus ora distorquens trahit.
Sed ut Tyranni commodè rebus suis
Mobilibus animis inserant fanaticas
Regántque Erynnes, ad manum Tyrannidis
Habent ministros, leguleios rabulas,
Et demagogos ferreæ frontis viros,
Queis pulmo largus, clara vox, vacuum caput,
Et lata crudo felle turgent pectora;
Diras crepantes ore fulmineo minas,
Cædes, ruinas, perduelles spiritus,
Meram Megæram, cujus afflatu igneo
Anhela flammis corda plebis æstuant;

Similes

Similes juvencis igneis Jasonis,
Flagrante tacta concremantibus halitu ;
Nec habent magistri plus in arca pectoris,
Ignea gerentes ora, mentem bubulam.
Porrò Magistri moribus proprias suis
Piceas, olentes, squallidas faces ferunt,
Luminis avaras, prodigas fuliginis,
Nigrore cujus serus atratur dies,
Faciésque sordent improbæ gerentium.
Turbæque vilis ; nempe uti depingerent
Reorum in ore crimen atque infamiam,
Vultúmque menti concolorem redderent.
Ergò atra turba, ferro & ignibus horrida,
Sulphureum odorem Tartari latè ferens,
Nympham salutant, dona portant seduli,
Injuriásque tot ferunt quot munera.
Hui dira dona, quæ solum & cœlum horreant !
Largum cruore fervidum innocuo lacum,
Gladiúmque eodem purpuratum murice,
Etiam calentem ; tum coronæ divitis
Manibus sceleſtis dissolutæ flosculos,
Et comminuti mœsta sceptri fragmina,
Trabeæque clarum syrma, gestamen pii
Magnique Regis, & sacri si quid super
Habitus verendo nuper erepti Duci.
At munus aliud, saucias Proderes manus
Post terga vinctos, infimi mastigiæ
Trudunt trahúntque, stemmata & mitras rudi
Collecta fasce, grande furciferis onus,
Dorso gerentes, quo ferant furcam aptiùs.
Hæc trita, quassa, jacta tandem humum gravi
Fragore pulsant, ad meros Nymphæ pedes :
Falsúsque vates splendidâ impudentiâ
Rectæque mentis cæteris odio prior,
Hæc munera instar omnium unus offerens,
Sic dura verbis ora solvit igneis.
Formosa Christi Sponsa, Cœlorum genus,
Princépsque Terræ, causa nostris unica

Finiſque bellis, ſume quas ſoboles tibi
Dudum probata conſecrat manubias,
Piè cruenta, ſanguinem, exuvias, duces
Mancipia factos; ſume primitias leves,
Latè patentis donec Orbis unica
Victrix, ſuperba ubique colla demetas
Regum tremendorum: obtere auguſti notas
Faſtûs, & omnes Principes letho dare
Aſſueſce in uno, ſede quem dejecimus
Axis Britanni, dignitate noxium;
Ut ſola celſo conſpicanda fulgeas
Regina ſolio: Jure ſive injuriâ
Inſuper habemus; jura ſub noſtris jacent
Protrita pedibus, nulla Majeſtas ſuper,
Jurata ſtolidi ceſſat obſequii fides,
Tuæque, Mater, pulſa cedit gloriæ.
Hæc fuſum abundè gloria cruorem eluit,
Quem medica venis elicit rabies tuis.
Malum omne laudes alma quod ſequitur Salus.
Per prava nobis ad bonum teritur via,
Nil nos moratur ſanguinis ſacer pudor,
Nil fœderaris ſacra jura, nil fori,
Legúmque juſtis inſita reverentia,
Simpléxque honeſtum quando pugnat utili.
Aranearum ſtamina hæc ſolos queunt
Culices morari; fregimus nos impigri,
Et tota penitus rupimus ſubtemina.
Famam ergò Sancti futilem illam tempſimus
Virtutis umbram, corpus ipſum extinximus
Si quando nocuit, inſitúmque mentibus
Æquum bonúmque, quando nobis obfuit;
Promittere leves, pejerare ſtrenui,
Injuriáſque ſeduli rependere,
Benefacta nunquam; ſplendidè & ſanctè omnia,
Quia te reformant, commodíſque ſerviunt
Noſtris tuíſque. Corda noſcentem Deum
Teſtamur, iſta candidè, ſanctè & piè
Rectáque mente perpetrata crimina.

O mira Pietas! téne quis celebret satis!
Quâ surgit ipso à crimine Reformatio,
Merámque spirat omne virtutem scelus.
Horrétne quisquam templa Marte diruta,
Et sacra Templis exulantia dirutis,
Mendica passim villicorum examina
Villis adustis, æqua terræ mœnia,
Patriósque campos ossibus canos suis,
Tria concremata regna, nostro spiritu
Præbente folles halitúsque flammeos,
Et sancta amarè devoventes prælia,
Confossa juvenum pectora amplexos patres,
Illa illa tandem sæva sed prudens via
Christo tibíque, Sponsa, regnum comparat:
Non tanta vacuis res venit sermonibus,
Queis rauca latè pulpita & scholæ strepunt:
Cædite, cremate, perdite, rapite, vertite,
Sic arma mancam sarciunt Ecclesiam,
Sibi sic habere res suas ceremoniæ
Citò jubentur; istâ prævalet via,
Linguísque meliùs tela falsum dedocent.
Atqui docendo sæpe doctores boni
Pereunt, rapítque mors Theologos milites
Acerba; quid tum? illi occidunt, nos vivimus.
Hâc nempe sorte nascimur hominum genus,
Ut clade multorum unius constent opes:
Congesta celsos nos levant cadavera.
Quisquam ruinis horridam patriam objicit?
Bene est, ruina publica est nobis lucro:
Hinc larga sanctis metitur ensibus seges;
Nam Terra solis cœlitus Sanctis datur,
Et totus Orbis fundus est Ecclesiæ.
Quod jure nostrum est jus finit per vim capi.
Hinc hinc colonos exigamus improbos,
Opibus feroces servulos herilibus,
Amalechitas, crucibus & securibus
Devota capita, noxios prædæ datos.
Sic Terra clausa queis Olympus clauditur,

Agè

Agè nunc triumpha, nunc fruere victoriâ
Generosa Nympha, nunc sacris furoribus
Immitte habenas, hos pede impios preme
Sancte protervo, nobiles, fortes, suo
Ausos Monarchæ (cæde plectendum nefas)
Perstare fidos: Adde vim justissimo
Furore dextræ fulminantis ictibus:
Cæsíque Regis hunc rubentem sanguine
Ensem nocentum penitus abde pectori;
Committe capulum vulneri, manum impio
Imple cruore, cæde, trunca, confode,
Omnes coronæ perde rivales tuæ,
Et in Orbe toto regium si quid super:
Nec sit cruentis finis antè cædibus,
Quin fræna equorum proluat inundans cruor,
Malísque cæsis in vacua veniant boni.
Tunc tu impiorum (quod piis promittitur)
Victrix lavabis sanguine hostili pedes;
Tuámque Sponsi conferes victoriæ,
Cum nempe fuso sanguine ambo vicerint.
Tua turba fratrum sanguine, ille proprio.
At te per illa chara Sponsi vulnera
Mater rogamus, O procul procul exulet
Hoc viperinum virus, hæc Siren tibi
Falsùm renidens, hydra, portentum, lues,
Erebóque Erinnys orta quam Pacem vocant.
Eheu tremendæ dira procedet comes
Justitia Paci, alumna, nutrix & soror.
Hæccine gubernet, & tuis rapti nihil
Natis relinquat? Hæcne cuique quod suum
Immisericordi sæva lance dividat?
Cædes, rapinas, acta quæ prophetico
Æstu calentes perpetravimus pii,
Severâ trutinâ pensitet politica?
Nec prosit hilum dicere, impetu entheo
Jubente, quodvis liberè admissum nefas
Pietatis ergò? nec mali causam Deum
Finémque crimini advocatum adducere?

An Marte parta, miles ex domino reus,
Lances tenenti Virgini cæcæ dabit?
Sparsóſque flores in coronam denuò
Coalere cernent in ſuam Sancti necem?
Hem! dira nobis nomina, obſequium, fides,
Pax, Rex, vetuſti ſacra Majeſtas ſoli,
Quæ audita nobis cholica cient tormina,
Noſtráſne pergent premere conſcientias?
Amica potiùs arma ſemper imperent,
Gladiúſque victor, edito fulgens loco,
Latè tremendus ſuppleat ſceptri vicem.
Quin patria rivis antè ſanguineis fluat,
Et ſola campis horreat ferri ſeges,
Quàm noſtra priſco colla ſubdamus jugo;
Regémque, nomen ſemper electis grave,
Victoriarum miles immemor ferat.
Neque hæc Britannno littori coërcita
Domi quieſcet inquieta regii
Sitis cruoris; Euge Sanctorum Furor,
Per Orbis omnes angulos victricia
Circumfer arma, per mare & terras feros
Perſequere Reges; nec ſit armorum modus,
Quin totam ab imis erutam radicibus
Stirpem ſuperbam & nominis veſtigia
Exterminârit Orbe victor Iſraël.
Sic cùm ſupremis purpuratus ignibus,
Nubis coruſcæ flammeis vectus rotis,
Cœlo redibit Chriſtus, Orbis unicus
Princeps futurus, hui! quibus ſe gaudiis
Mulcebit? iſtis conſpicans Terras ſibi
Armis ſubactas; facta, tranſacta omnia,
Nihílque ſceptro conterendum ferreo.
Prædis onuſti, laureis victricibus
Comam impediti, Regiíque ſanguinis
Oſtro decori, Meſſiæ Regi obviam
Ibimus ovantes; Dúxque magnus debitam
Geſtis rependet bellicis adoream.

METRUM III.

SErmone diro, dum furori crimina
Intrita cæco, Tartari teterrimum
Miscent odorem, Nympha diriguit comas,
Labefacta subitus ossa concussit tremor,
Trepidúmque pectus, ictáque fero fulmine
Orationis, cecidit exanimis solo.
Ut quando pressus nube sulphureus vapor,
Tonitru tremendus humido erumpit specu,
Celeríque rapidam concipit flammam impete,
Simulac volucres Auster alas addidit,
Præceps coruſco tramite secat aërem,
Obviáque sternens cuncta, pastorem solo
Affligit, ille pallidus, gelidus, stupens,
Vitæque sensu vacuus immotus jacet,
Non pulmo motus pressus alternat suos,
Non vena pulsus mutuos reciprocat.
Sic Nympha jacuit, donec illam idem dolor
Per quem stupebat excitavit, acriùs
Pungens jacentem. Signa vitæ primula
Lachrymæ venustis largiter riguæ genis;
Queis postquam acerbus affatim indulsit dolor,
Primúsque torrens nonnihil desæviit,
Locúmque voci fecit, hoc silentium
Sermone rupit. O mihi veneranda Crux!
Cunabula meæ prima quondam infantiæ,
Nutrix, corona, angusta cœlorum via,
Scholæ, Magistra, debeo virtutem tuæ;
Oppressa vireo, & calcibus tyrannicis
Calcata surgo; sed malorum hoc insolens
Immane pondus me profundo deprimit,

Quódque

Quódque ante nervos ſuſcitabat conterit.
O parce, nimis O jam nimis ſedes gravis.
Unci, leones, picea tunica, torminum
Sævitia quicquid cudit ingenioſiot,
Docuêre feſſam fortiùs reſurgere,
Vegetíque laſſis Martyres tortoribus,
Semuſtulatis jubilabant faucibus,
Tædis ſacris amoris atque gloriæ
Flammæ calorem hoſtilis abſorbentibus;
Ut Sol minores luce vividus aureâ
Extinguit ignes. Creſcit adverſis Fides.
Sed ut odia artus extera iſtos roborant,
Interna frangunt. Quid animi mihi ſuper,
Quum parricidæ mente lymphatâ truces
Nati cruentant Matris intima viſcera?
Hoc morte pejus, detrahunt vivæ cutem,
Ægræ, trementis, carne totâ ſauciæ,
Mendacia unde pallia & larvas ſecant,
Quibus colorem præferant Eccleſiæ
Ipſa interempta: En iſta vix languens traho
Laniata ſævis membra factionibus,
Orbæque cæsâ prole, plùs tamen dolet
Furioſæ Erinnys veſte traduci Fidem:
Et quod patratur, non mihi quod infligitur,
Stimulis doloris urit acrius malum.
Tumidâ feroces mente, fortunâ ebrii
Nimis ſecundâ, crimina oſtentant palàm;
Nefanda Matri dona, natorum ferunt
Calidum cruorem, victimáſque Maximo
(Qui cuncta juſtis facta pendit lancibus)
Abominandas, filios mactant Patri:
Evangelique Pacis impoſitum ſibi
Multùm frementes rejiciunt collo jugum.
Chriſtum docentes ſcilicet, quàm non bene
Parùm virili preſſerit jugo ſuos,
Ignava ſtrictis colla cultris imperans
Præbere mites, & genas cædentibus;
Crucémque fortes ferre, non imponere.

Sublimio-

Sublimiorem moribus terunt viam
Habiles ſceleſti, Principum ſolio graves,
Regum Tyranni, regna ſanguine regio
Chriſto parantes, mentiúmque erroribus
Simplex ferentes pharmacum, errantûm necem.
At qui uniformem diligit normam Deus,
Oculis ab alto lucidis vigil notat,
Zelo priorum Chriſtianorum aureo
Immane quantum diſcrepet lymphaticus
Novitiorum parricidarum impetus.
Nec tantùm ab Ortu diſtat Heſperium latus,
Capreíſque tigres differunt, agnis lupi,
Quantùm vetuſto diſſidet zelo hic novus;
Hoc nempe priſcis híſque convenit novis,
Quòd Martyribus & horridis lorariis;
Iſtis necare ſtrenuis, illis mori.
Atqui coronam utrique comparant ſibi,
Spinam ex verenda Martyres Crucis arbore,
Aurúmque cæſo Principum capite alteri.
Acerba læti ſuſtinentes Martyres
Fregêre atrocis impetum Tyrannidis;
Iræ, poteſtas, arma, Majeſtas, furor,
Scuto dederunt fortis Obſequii manus;
Sic Chriſtianum ſe repens miratus eſt
Subactus Orbis, ImperIque Meſſias
Regnavit aulâ: ſed perit, perit, heu! novâ
Rebellione quicquid obſequium vetus
Chriſto paravit; quippe qui nondum tibi
Nomen dederunt, Chriſte, diris omnibus
Zelum latronum devovent ſicarium,
Dominis minacem, Principum & Regum luem,
Legémque Chriſti ferreum vocant jugum,
Lethale regnis; crimíniſque vertitur
Chriſto mihíque quicquid iſti inſaniunt,
Hominúmque culpam ſacra plectitur Fides.
Vos teſtor omnes, degener genus, mihi
Nunc abdicandum, Mænadum potiùs genus;
An me docente ſpiritus lymphaticos

Hauſiſtis

Hauſiſtis ? unde hæc diſciplina cædium,
Rabido boatu ſtrepera rumpens pulpita,
Patrium rubente Martis eluvie ſolum
Latè cruentans & ruinis obruens ?
An ille Chriſti Spiritus ſacer & meus
Leges refigit, dejicit ſolium loco,
Jusfáſque mente ? Promite Annales ſacros,
Conſulite Faſtos, ſi qua veſtræ ſorſitan
Patrocinentur improbæ dementiæ
Exempla Patrum : præferunt vobis facem
Donatus, Arius, & Simones efferi,
Galilæus alter, alter ortus Gazara.
His vos magiſtris, nequiores diſcipli,
Mihi didiciſtis dare Thyeſteas dapes,
Veſtro necata ſcelere chara pignora,
Capitíque corpus immolare Eccleſiæ.
O mihi liqueſcat anxium lachrymis caput !
Quibus fleatur Phoſphororum extinctio,
Quos clara nuper explicabat ſidera
Britannus axis, pro quibus poſitas gemit
Tenebricoſi fœtidas ignis faces,
Picei rotantes ſqualidos fumi globos,
Lucere ſegnes, fervidas incendere.
Audetis etiam cædibus tot nobiles,
Laniíque fratrum, me Parentem dicere ?
An me putatis copulâ execrabili
Veſtro parenti conjugatam Dæmoni ?
Ille ille vobis ingerit lymphaticos
Animi tumultus ; ille vos ſibi liberos
Similes adoptat, litis & cædis parens.
Sed mea quieto Pacis almæ Spiritu
Proles creatur, obſequens, mitis, placens,
Procul modeſtâ fronte ſupercilium & minæ,
Nulli nocere prona, prodeſſe omnibus,
Et Chriſtiana mitigans infantiâ
Si quid ſeveri Rector impoſuit jugi ;
Cedendo victrix, lenis & fortis pati,
Etiam datura Principi jugulum ſuo.

Diríque

Equidem furentes mente sedatâ queo
Hostes amare, at indè materno nihil
Perit vigori, iræve decedit sacræ,
Quibus abdicatos læsa Natos execror,
Ditique prolem nunc adoptatam suo,
Quorum sceleribus diva sordent nomina
Religio, Zelus, sanctáque reformatio.
O Christiani generis ingens dedecus!
Zeli obtegentes parricidium togâ,
Perjura rurba, torridæ belli faces,
Siticulosæ jámque plenæ hirudines
Nostri cruoris, Cerberi, Corvi, Lupi,
Ecclesiæ ulcus, dira regnorum lues,
Ut hanc Averno conscìam vesaniam
Superûm Inferúmque Conditor malè perduit,
Atrum furorem quotquot in vivis boni
Abominentur; ac velut visum procul
Rictu cruento ovile vastantem lupum
Clamore ruris insequuntur incolæ,
Urgent molossis, fudibus & saxis petunt,
Vos totus irâ prosequatur vindice
Orbis, nocivam gentis humanæ luem.
Et quæ mihi hæret macula per vestrum scelus
Vestram profundo frontem inurat stigmate,
Verósque Mundus vos nocentes horreat;
Nisi fortè Christi cœtibus pulsos, ferum
Mahumedis atri vos sibi societ pecus,
Paritate moris incitatum, quippe quòd
Legem propagat cædibus latè suam,
At hercle vobis Principi fidelius.
Hinc fugite tesqua in sola fœdi vultures,
Crudámque fallant carnis humanæ famem
Projecta equorum vel canum cadavera.
Repetite Furiæ Noctis infernæ Chaos;
Audetis etiam cernere ægra lucidum?
Infusa porcis legio dira Dæmonum,
Orci in barathro protinus malos malè
Datura pessum. Vósque Dæmonum hospites,

Febriculoso

Febriculoſo fœta zelo pectora,
Quibus à maligno liberam mentem jugo,
Sanúmque pectus, læſa quamlibet, precor;
Audite veſtris digna factis præmia.
Ut miſſa Cœlis fulmina indignantibus
In vos rubente certa vibret dexteſâ
Qui celſa Olympi tecta tonitru concutit,
Sublatâ ut omni partium diſcordiâ,
Natura concors juret in veſtrum caput.
Si quid beato copia ſinu porrigit,
Stomachos voraces prægravet, non nutriat;
Sceleríſque veſtri Terra pondus non ferens,
Nefanda fidens lubricet veſtigia.
Vobis procellas ſpiret & malum Jovem
Luémque flatus peſtilentis Africi;
Comélque peſtis ignis exedat ſacer
Fervente toſta veſtra zelo viſcera,
Igníſque amicis ignis uſque ſit comes,
Quæ perduellis devorârunt Abiræ
Comites ſceleſtos flammeæ voragines
Veſtris tremendæ ſtent faces conviviis.
Vino ſepultos ebrióſque crimine
Invadat ignis; mox rotato incendio
Curia Tyrannis plena bis centum ruat,
Ambuſta lapſu proterens cadavera.
Pauci ruinæ publicæ ſuperſtites,
Poſt longa fracti bella, & exhauſti fame,
Per cuncta vecti maria, fruſtra vindices
Fugiatis iras æviterni Judicis,
Qui vos peroſo, naufragos, inopes, vagos,
Oſtendat Orbi, exempla parricidii
Inviſa Superis, execranda gentibus;
Nec ſit malignos qui lare & foco juvet.
Ergò refectis claſſis impia navibus,
Paſſura divinæ ultionis turbines,
In rabida pelagi tormina extrudamini.
Mox hinc & indè verberatas fluctibus
Illidat æſtus Syrtium brevibus rates,

Ratiúmque tabulis Afra pulſet littora:
Tum Maura ſævis ſævior gens fluctibus,
Manus malignas tendat enatantibus,
Factura ſervos remigéſque, & ruſtico
Robuſta membra deſtinans ergaſtulo:
Sed mox rebelles agnitos, Britanniæ
Orbíſque peſtem, rejiciat madidos truci
Statim hauriendos nè ſolum inficiant ſalo.
Tamen hæc ſceleſtis mors malorum terminus
Sit expetenda, ſi nocentûm ſpiritus
Efflatus ore fuſus in nebulas leves,
Sensúque vacuus, cedat in liquidum aëra;
Quibus negatur eſſe nil reſtat pati.
Sed vivit eheu! poſſit ut ſemper mori.
Mors dura, ſævi lictor Orci, perfidos
Impœnitentes rapit in obſcurum Chaos,
In quo rebelles magnus ille rebellium
Parens fatigat, dum ſui ſimiles nimis
Amplexus ulnis implicat pater igneis.
Genuina torrens, toſtus ipſe, pignora.
Imò ante lethum jura præcipiens ſua,
Uncis rebelles ſæpe prenſat unguibus,
Et ægra Stygio corda torquet verbere.
Scitis ſceleſti, gravia crimine pectora,
Quæ vos ſilente monſtra nocte territent,
Quis membra ſtratis ſubitus eripiat tremor,
Quoties quietos excitant innoxii
Gemitus cruoris, viſa ſub pedibus feris
Lacera ſupremum patria ducens halitum;
Et CAROLUS ingens, cæſus, exanguis, jacens,
Tuens acerbùm, conſcia urit pectora,
Nocuóque ſacras injicit jugulo manus.
Sæpe & videtis debitam in ſomnis crucem,
Fulgura cadentum fulminum in nocens caput,
Cultros, ſecures, & per hiſcentis ſoli
Vaſtos hiatus Tartari caliginem.
Vigiles & iſta ſomniatis, hæc jecur
Pejus Promethei cura vulture lancinat;

Laqueúmque

Laqueúmque, Judæ pharmacum narcoticum,
Mox inquieris, perditis, insomnibus,
Obtrudit horrens Ditis inferni manus,
Facilique collo nectit, & collo induit.
Hui! vósne cujus facta dira imitemini,
Funesta stultos fata non horrescere?
Agedum salutarem agite pœnitentiam,
Dum cessat etiam extrema desperatio.
Lachrymarum amarâ victus undâ strideat
Ardor ferox, ut ignis ære torrido
Humore merso multa murmurans fugit.
Est pœnitentis crimen omne piabile.
Pietate nullum majus est Christi malum.
Qui nuda saxa melleo Mannæ Deus
Inspergit imbre, corda dura sæpius
Læti favoris rore perfundit sacro;
Germana adhæret Pœnitentiæ Salus.
Quid hoc? tremendæ vocis ictu verbere
Fremitis sceleste ad Pœnitentiæ sonum!
Iræ impotentis conscius pinxit rubor
Facies ahenas; ignis oculis emicat,
Frontémque firmat impudens severitas,
Pravum induente mente robur perfidâ,
Quæ spernit Orcum, Pœnitentiam timet.
Hui! quæ efferata torvâ fronte lumina!
Pellens ruborem pallor, oris asperi
Rugæ minaces, tum ferox gladii manus
Inserta capulo quid paretis indicat.
Agite, fideles sæva præmia consil!
Mihi date cædem; sanguinem sitientia
Guttura rigate rabida vestræ sanguine
Quondam Parentis, pignorúmque funeri
Adjicite Matrem. Dire quid cessas Furor
Perficere Matris cæde natorum struem?
En iste lato fervidum ebullans lacu
Nostris recenter prodiit venis cruor:
Hæc vestra vobis, hæc refundo munera.
Sic fata totis Nympha viribus lacum

Humo levavit, & suum certâ manu
In ora misit perduellum sanguinem.
Et *noster in vos*, inquit, *& vestrum genus*
Sanguis recurrens sumet ultorem ad Deum,
Nocuæque genti semper incumbat gravis.
Jacti cruoris perperam nil excidit:
Vilisque turba sanguine icta missili,
Menti cruentæ congruos vultus tulit.

METRUM

METRUM IV.

UT tensa quondam retrahentes vincula
Sparsus juvencos agitat in rabiem cruor,
Perfusa rore sanguinis lymphatica
Exarsit irâ dirâ latronum cohors.
Repentè strictis impetunt mucronibus
Christi maritam, & alia menti vulnera
Truces acutis duplicant convitiis.
Execrabilis Megæra quam Parentem perperam
Credidisse vel vocâsse ferò Sanctos piget,
Arma túne sacrosancta sæva nobis eripis?
Tún' pii stimulos furoris sustines retundere?
Nósne mancos, nósne claudos, reddis ex victoribus?
Tu maligna, tu noverca, perdere electos paras?
Sicne nervos exsecandos sancta præbeat suos
Imbecilla fortitudo victa pœnitentiâ?
Regium redire culmen, cadere nos & conteri?
Pœnitentia esto soli fœda peccato comes.
Non sinit peccare sanctos Christus in sanctis manens.
Attamen facti fideles unius nos pœnitet,
Quòd te honore prosequuti ter veneficam sumus,
Téque vitæ ducere auram tam diu permisimus.
Hæc moram pensabit hora, lamia trux peri, peri;
Vulnerúmque fer tuorum Tartaris tragœdiam.
Traxit minarum turbo grandinem ictuum;
Et diva mille Nympha telis saucia,
Vulnúsque tota pressit exanguis solum.
Repentè tetricus imbre sanguineo pluens
Cohorret æther: vidit, expavit nefas
Atráque Titan condidit caligine
Superfluum jam lumen absque Ecclesiâ.
Cardine refixo utrinque nutârunt Poli.

Fatiscere Orbis læsa compagem sacram
Natura stupuit: indè fatalis tremor
Luxata Terræ concutit fundamina,
Sceleris iniqua non ferente ponderæ
Basi vetustâ. Sic ubi veteris domûs
Casum moratur imminentem sublica,
Illâ remotâ corruit premens onus,
Quassíque tectis horrifer Cœlo it fragor.
Bombi tonitruum, sibili serpentium,
Stridor strigum, raucíque corvorum soni,
Vagæque circum compita infernæ canes,
Tenebrosa diro horrore complebant loca.
Strepunt cavernis orta ab imis murmura
Ditis profundi, & Dæmonum jubentium
(Cavo sonore qualis ex adytis sonat
Emota Phœbas) jam sibi Terram dari;
Pereunte nempe destitutam Ecclesiâ
Factam repentè Tartari provinciam,
Sua regna Avernum jure nunc reposcere.
Tænaria terris umbra noctis incubat;
Lux nulla, nisi quæ nubibus ruptis micant
Intorta fumo lurida ignis spicula.
Ruit sonoris æthra tempestatibus,
Clausúsque cœcis montium radicibus
Concepit ignes ventus, & sursum viam
Sternit; barathro rumpitur vasto solum:
Convulsa ab imis Terra mater sedibus
Et lacera retro properat in priscum Chaos
Natura volvi. At illa rerum publica
Ferit ruina parricidas publicos.
Flagrante latè mista grando fulmine
Impacta, cuneos perduellum discutit.
Vagos dehiscens noctis æternæ in specum
Sorbet vorago, montiúmve ruentium
Novos Gigantes gravia truncant fragmina;
Superstitésque dissipant per avia
Fulgura, procellæ, grando, nox, ventus, furor,
Armata flammis ira vindicis Dei,

Pejórque

Pejórque letho conſciæ mentis pavor.
Ac dum procella ſævit, & Tellus tremit;
Nymphæ jacentis, non malis ſuperabilis,
Pax dia Chriſti firmiter ſolidat ſolum,
Magiſque mentem; quam Deo conjunxerat
Victrix doloris ſancta amoris ecſtaſis.
Divæ cruorem Terra fuſum combibens,
Fœcunda violas ſponte fundit & roſas.
Circum teporis vernat Elyſii tenor,
Aër procellis liber, & tenebris dies.
Nam Cœli ab alto lapſus axe Meſſias
Sponſæ benignus ſoſpitator aſſidet,
Quatiénſque magna fræna ventorum manu,
Rapidi tumultus aëris verbo fugat.
Reliquum per Orbem impune tempeſtas furat,
At Chriſti amicæ ſedeat æternùm comes
Pax læta Cœli, & ille cui ſomnos leves
Quum navigaret attulit jactatio
Fluctus protervi, turbine in ſimili ſuam
Suæ quietem nunc jugali commodet.
Sed nè jacentis fugiat anima vulnere,
Dextrâ medente læta claudit vulnera;
Venas cadentes fulcit, & natantia
In Mortis atro lumina excitat lacu;
Animæque fortis & vigentis indicem
Faciem ſerena temperat fiducia.
At candidati, ſedula cohors, Angeli
Ægram benignis recreant odoribus,
Aliſque lenes aureis Zephyros creant;
Tum cruda fuſo vulnera ungunt balſamo,
Cui totus Orbis par habet pretio nihil;
Quod nempe Chriſtus ſanguine & lachrymis ſuis,
Largo ſalutis imbre fuſis in Cruce,
Confecit ipſe; vulneribus Eccleſiæ
Præſens medendis omnibus ſat unicum.
Mors ergò gelidis abſtinet complexibus,
Quæ ſauciam ulnis comprimebat oſſeis;
In rigida ſenſim membra reptavit calor,

Et pura vivo tinxit ora murice:
Amor Fidéſque utrinque, pulvilli vice,
Medicis recline ſuſtinent manibus caput;
Mollémque præbens Innocentia culcitram,
Placidam quietem, non adhuc ſomnum facit,
Cui nempe craſſis aridum vaporibus
Nuper cerebrum liquerat fuſus cruor;
Idémque ademptâ fæce ſublimaverat
Animam capacem; quæ vigil, compos ſui,
Admota Cœlo, magna, mira illuſtria,
Accepit oculis viſa perſpicacibus,
Hebente carnis non videnda lumine.
Obſeſſa nullis lucida nubilis
Lætis refulſit æthra coloribus,
Riſúque diducti benigno
Sponte fores patuêre Cœli.
Repentè Cœlo prodiit Angelus,
Titana claro lumine provocans,
Cui ſyrma virgatum pyropo
Et rutilo radiabat auro.
Pingebat alas fulgida remiges
Intexta gemmis purpura cærulis,
Auríque diſtincti micabant
Igniculis virides ſmaragdi.
Sæpe in virorem purpura tranſiit;
Oſtrum fefellit cæruleus nitor:
Pelluntur alterni colores
Arbitrio trepidantis alæ.
Plauſus volueris remigii frequens
Demulſit auris æthera mollibus,
Sparſítque cœleſtes odores,
Et croceo pluit imbre Cœlum.
Vibrata vultus lumina flammei
Attemperabat dulce nitens decor,
Qui pectus & vultum jacentis
Vivifico recreavit igne.
Agnovit almum Nympha legatum alitem,
Qui nempe Sponſo cœlicum alloquium dedit,

Prope

Prope quum minantem mente præcipiens Crucem,
Sudoris horrens rore sanguineo foret,
Lachrymis remisto; nunc patrem mersæ malis
Opem maritæ præstiturus advolat,
Ille ergò sacrâ fronde nexam porrigens
Cœlo coronam, dulce & augustum sonans,
Sic ora solvit; substitit venerans Polus.
Nympha genus Cœli, summi Nurus alta Tonantis,
Hanc tibi quæ cingat victricia tempora laurum
Promeruit proprio perfusam sanguine Christus.
Hæc licèt ambabus cœlestia præmia palmis
Spesque Fidéque simul teneas; non tempora circum,
Donec anhelantes extremo in pulvere solves
Carnis equos victrix, toto certamine functa.
Sic Sponso gradibus surrexit Gloria miris,
Dedecoris, sævæque Crucis, mortisque cruentæ.
Ergò horrens spinis, torvè sudore decorus
Sanguineo, immensisque laboribus exantlatis,
Arduus astriferum victor per, upit Olympum
Vertice, & æterno spinam diademate vertit.
Nec tamen auratis collucens Gloria pennis
Militiæ finem posuit; commilitat ultro
Compatitúrque tibi. Sponso quid juncta tremiscis,
Militiæ consors, olimque futura triumphi?
Euge! brevem obdura fortis tolerare laborem;
Jam te triste jugum lassâ cervice ferentem
Proxima Libertas niveis circumvolat alis;
Nempe labans Tellus labefactáque regia Cœli
Mox facient grandes quassò fundamine rimas.
Protinus erumpes è carcere libera fracto,
Obtritíque ferent laxâ compage ruentem
Sacrilegi propriis errorum fraudibus Orbem.
Non alios carnis servili compede vinctæ
Libertas aditus aperit; frustráque timorem
Spémve tuam exercet rigidæ falx aspera Mortis.
Illa quidem certâ carpit tua pignora dextrâ,
In Matrem nil juris habet: deponat amico
Naufragio in portu magnæ tua membra Salutis,

Altera

Altera ſuccedent; mediáque in Morte ſuperſtes,
Membratim moreris, ſempérque renata perennas.
Cynthia dum vario fulgens argentea vultu
Legibus æquoreos certis moderabitur æſtus,
Lumina nocturni dum ſcintillantia Cœli
Subluſtres facient tremulo fulgore tenebras,
Alternáſque vices brumæ meſsíſque reducet
Qui duodena rotat volucrem per ſidera currum,
Fortia perpetuæ produces ſtamina vitæ,
Non nece, non ſenio, non expugnabilis hoſte.

Ille quidem effuſis furiatæ mentis habenis
Te flammâ ferróque ferox urítque ſecátque.
Sed modò vivaci prodis generata favillâ
Lætior, & fuſo de ſanguine cæſa reſurgis,
Ut melior ſecto ſuccreſcit palmite vitis:
Et tecum toto pugnans Acheronte, nihil te
Debilius cernit nec ſentit fortius hoſtis.

Macte Dei Conjux, inimici terror Averni;
Et tua non ulli cedens tolerantia damno,
Exuperet priſcum Terræ durabilis axem,
Et menſurato libratos pondere montes,
Fixáque conſtantes volventia ſidera gyros.
En Natura tuo menſuram ducit ab ævo;
Nam ſimulac carnis perrumpes vincula, ſtabit
Tempus, & injiciet celeri ſufflamen Olympo,
Mundus & antiquo nihili ſubſidet abyſſo;
Scilicet à veteri removeberis axe columna,
Magnum Atlantæis ſuſtentans viribus Orbem.

Hunc modò ſenſiſti te deficiente fatiſcentem,
Horrifico ſubitam fremitu minitante ruinam:
Sed Deus ut pateant venturæ tempora proli,
Ecce tibi paucos trepidum firmavit in annos.

Vanus & ille timor quo te, Regina, fatigas,
Nè Sol Juſtitiæ, vitâ tibi charius aſtrum,
Occidat, & nigrâ faciem caligine condat.
Hoſtibus ille tuis, at non tibi, Nympha, latebit,
Et ferrugineâ merget radios Eclipſi.

Scilicet

Scilicet indignans rabies quod dira catervæ
Lucifugæ, excludens tecto duplicíque feneſtrâ
Dulce jubar, fatuos privatim accenderit ignes.
Ilicet æternâ quam quærunt nocte fruantur
Gaudentes ululæ tenebris aut luce malignâ:
Eumenidúmque faces, nocturna incendia, torres,
Sole procul, præſtent tenebroſæ lumina turbæ:
Sed tua ſalvifico radiabit lumine Goſcen,
Dum mala Tænariis Ægyptus torpet in umbris.
Et prius effracto lucis temone quadrigæ
In diverſa ruent, aurigáque pronus Olympo
Excidet in Terras, & cum Titane cadet lux,
Quàm vel Evangelicus nigrâ Sol nocte tegatur,
Vel quæras oculis cœleſtia lumina cæcis:
Sed clara æternùm divinæ filia lucis
Stabis, & in medio figes tentoria Sole.
At quæ fœda jubar circumſtant nubila ſanctum,
Obſcœno hoſtilis ſceleris collecta vapore,
Fundet in authores immani rupta procellâ,
Invertens gravidos irarum grandinis utres,
Qui paribus pendit crudelia pectora pœnis.
Et tuus in fontes, ignito plurimus imbre,
Armatus Nemeſi deſcendet vindice ſanguis.
Ille petita diu victorum præmia portans,
Tempora non lauru, ſed tortâ cannabe collum
Cinget, & eliſo ſub Tartara gutture mittet
Sacrilegos, paucis communi à ſorte redemptis,
Auxilio, pia Nympha, tuo; quo ſæva rependens
Vulnera, poſt Sponſum facies hæc mitia vota,
Clavis foſſa manus, & acutis tempora ſpinis,
Parce Pater, meritáque feros nè perde ruinâ,
Qui noſtrum effundunt ignarâ mente cruorem.
Pectora quorundam ſeri veríque doloris
Tranſadiget gladius, ſceleroſi conſcia facti.
Paulum etiam factum de percuſſore videbis.
Qui creat ex duris Abrahamo pignora ſaxis,
Mortua vitali qui corpora ſuſcitat aurâ,
Marmoreos quandoque ſinus inimicáque corda

Molliet, & flamma divini finget Amoris.
Legitimus recto decurret tramite zelus;
Quique priùs nocuit quondam tibi ſerviet ardor.

Sic tandem dubiis ſurget tibi Gloria rebus,
Bellum, incerta quies, intextáque triſtia lætis,
Damna trahens lucrum, commiſta infamia laudi,
Cætera quæ cæcâ raptum vertigine Tempus
Multiplici temere perplexâ ambage volutat,
Omnia conficient magnam tibi, Nympha, ſalutem,
Jactatæque Deus faciet per devia callem;
Donec fulmineo latè tremefiat Olympus
Angelicæ clangore tubæ, Tellúſque labaſcens
Mugiat, atque imis reboet concuſſa cavernis,
Antrorúmque cavis eructet faucibus ignes;
Queis incenſa crepet, comprenſáque machina Mundi
Corruat, & rerum moles reſoluta fatiſcat,
In priſcum revoluta Chaos: Túque alite curru
Ardua quadrijugis rapiaris in æthera ventis,
Occurſura tuo clara inter nubila Sponſo;
Quîcum ſiderium ducens Regina triumphum,
Angelicos inter plauſus, Matrémque beantes
Felices natos, æterni ad limina Regis
Pervenias, qui te vitæ fonte jubebit
Impleri, & toto divini fluminis alveo;
Emeritúmque caput juſtâ radiare coronâ.

Angelus id ægræ gratus alloquium dedit,
Penituſque totam ademit ægritudinem.
Sed læta vocem cluſit admiratio,
Radióſque lucis æviternæ vividos
Mortalia ultrà non ferentia lumina,
Demiſſa ſenſim roſeus invaſit ſopor;
Qui blandiente dulce ludens ſomnio,
Abiturientem penna Amoris alite
Inſeruit Aſtris & beavit ſpiritum,
Gemmea reducens ora mitis Angeli,
Sibíque divinum accubantem Conjugem,
Qui ſpe futuris jam fruentem præmiis,

Totámque

Totámque amoris colliquentem gaudio,
Lentis amicam continuit amplexibus.

CANT. iii. v.

Adjuro vos filiæ Jeruſalem, per capreas cervoſque camporum, nè ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

MAGNI

MAGNI MANES CAROLI PRIMI

Regis & Martyris.

FInierat lucis Nox intempesta labores,
Inspergens tacitis lethæa papavera terris.
Sed mihi blanda aliis invitamenta soporis
Nutribant vigiles nocturna silentia curas,
Lugenti Regisque necem, Templique ruinam,
Et mœsto penitus de pectore singultanti.
Protinus ad Phœbes vitreis inserta fenestris
Lumina, visa fuit sancta & feralis imago
Ingentis CAROLI; non quo nunc sidera vultu
Sideriúmque Patrem divinâ luce coruscus
Aspicit, atque Dei ter Majestate verendus.
Sed quo sacrilegis interfectoribus ultor
Imminet, & fœdas hominésque Deúmque perosi
Angit Oliveri fauces, stratisque rebelles
Eripit, occulto torquens fera pectora flagro.
Pallor in ore sacro, macies, cava lumina, torvus
Aspectus, cervix cæsa & malè sarta, vacillans
Vix caput attollens, delabentémque coronam.
Jusserat impexos sanies concrescere crines,
Et crudo horrendùm stillabat sanguine barba.
Ille cavum, tumuli tanquam de fornice, murmur
Edidit. O nostros, inquit, miserate labores,
Quantum animi virésque dabant; quæ præmia Virtus
Nostra ferat cernis: hos nempe Senatus honores,
Promissos longùm, longùm oblatósque paratósque,

Ecce

Ecce mihi tota cum ſorte & fœnore ſolvit.
Nam mihi quam triplices non indulsêre coronæ,
(Denſiùs heu tribulis quàm gemma auróque rigentes)
Dira piam potuit requiem præbere ſecuris,
Æternúmque decus ; ſic dat leo roſcida mella,
Sic fert ſpina roſas, ſic ſit medicina veneno.
Atque utinam Mors hæc, magnæ mihi janua Pacis,
Hanc pareret Terris, nec noſtris hoſtibus eſſet
Fauſta minùs quàm læta Mihi. Vox ſanguinis hujus
Æternùm per me ſileat, nec Principe cæſo
Cædibus alternis Regi tria regna parentent.
Vah ! nil vota juvant : fumat tellure receptus
Nunquam arens frigénſve cruor ; juſsúſque ſilere
Ejulat infandum, & gemitu cœlum omne remugit.
Eheu quàm tetricis denſatur in æthere nimbis
Regali de cæde vapor ! quis ſulphuris atri
Turbo ruit, rutilæ contorta volumina flammæ
Agglomerans, aliam mox exuſtura Gomorram !
Tum Dæmon tumidos genio vertiginis utres
Fundit in inſanum pelagus fluitánſque popelli ;
Unde ciet ſpumas ſeſe frangentibus undis,
Et quem vorticibus limum corraſit ab imo
Ad ſummum attollit, tum rurſus in ima reſorbet :
Littora mox ſuperans, disjectis undique legum
Molibus, horrificam nullo cohibente per agros
Diluviem volvit, medium facit omnia Pontum ;
Oppida, villæ, arces, Regum monimenta vetuſtorum
Intereunt ſubitò, longis vix condita ſeclis.
Ecce jacet noſtro fundens de vulnere vitam
Regnum antiquum, ingens, in Principe detruncatum.
Et miſeranda comes confoſſa Eccleſia Regi
Incubat, atque ſuum Domini cum ſanguine miſcet.
Euge ! animos ipſa de cæde Britannia carpit.
Non toti occidimus ; diráque Tyrannide preſſa
Fortiùs erigitur confringi neſcia Virtus.
Ut quondam impoſiti ſaxis arctata Veſævi
Multa fremens alitur ſecreto fomite flamma,
Indè cavum latè montem comprendit, & omnis

Obicis

Obicis impatiens ſolidi penetralia ſaxi
Rumpit, & effractis ſurſum ruit alta caminis.
Æquora ſulphureâ fervent Tyrrhena procellâ,
Arváque candentes torrent Campana favillæ.
Terrifico motu, atque horriſono mugitu
Littora tota tremunt; trepido fugit agmine vulgus,
Ardentes pagos, & tecta ruentia vitans,
Palantum inſequitur piceus veſtigia torrens.
Non alios rapidè Mea gens erumpet in æſtus
Irritata malis, & iniquo pondere ſudans,
Diſplodétque graves diris ultricibus iras.
Tum Mea progenies ubi nullum invenerit hoſtem
Obſequii memorem ſua quem Clementia ſervet
Viribus inſurgens divis, & jure paterno,
Herculeos ardens animos, animíſque lacertos
Tollet conſimiles, & formidata rubente
Fulmina torquebit dextrâ; quæ bruta Gigantum
Agmina, verſa ſuis mixtim cum montibus, alto
Culmine de ſolii cœnum in natale revolvet.
Titanéſque novi ſcalarum mole ſuarum
Obtriti, propriis ſic fraudibus urgebuntur,
Ut gravis Enceladi premit ignea pectora tellus
Trinacriæ, centúmque gemens incudibus Ætna.
O nè fracta malis regalia corda fatiſcant!
Per mille arctarum perplexa volumina rerum,
Per trepidos belli caſus, modò gloria ſurget
Multa Deo ſoboléque meæ; requiémque Britannis,
Grande decus regno, ſua per contraria condit,
Mirandis vicibus, magno molimine Numen.
Sic vitam ex letho, lucémque accendit in umbris
Conſilii æterni non veſtigabile textum.
Dixit, & extemplo majorem aſſumpſerat ingens
Humanâ ſpeciem, ſacer auguſtúſque videri.
Ore procul macies, & torvo lumine ſqualor;
Sed roſeo fulgore nitens, oculíſque ſerenis
Dulce jubar vibrans; mox Phœbo clarior ipſo,
Indutúſque homini non aſpectabile lumen,
Mortales oculos fugit, Cœlóſque reviſit.

Magni

Magno SALMASIO *pro Defensione Regia Ode* εὐχαριστική.

SIc Orbis omnes pervolitans plagas,
Linguísque centum Diva potens loqui,
Te Magne Salmasi celebret,
Te tabulis adamante factis
Inscribat, O quà verticibus Poli
Utrinque nautas oppositis regunt,
Supreme Musarum Sacerdos,
Innumeris spatiis secundum
Sub te relinquens! hui dubium facis
Heróïne major vel melior sies;
Quem numen admovit benignum
Attonitis trepidísque rebus,
Orbis salutem juráque principum
Stylo tuentem regia Principe:
Quem frontis expertes, nefandi
Furciferi didicêre nuper
Quid Marte possis; quo Genius tuus
Hastile juris fulmine torqueat:
Quantúsque propugnans Monarchas
In clypeum gladiúmque surgas,
Juvat valentis robore dexteræ
Videre quassis monstra molaribus,
Duróque sub cæstu cruentas
Terrigenûm crepitare malas:
Videre collo Tartareos canes

Fruſtrà catenas concutere arduo,
Te lucem ad inviſam trahente
Viribus Herculeis moloſſos.
Videre coram Judice Maximo,
Pendente juſtis crimina lancibus,
Reos peractos perduelles,
Perniciem Furiáſque ſecli.
Tandem ergò tali tempus erat tegi
Umbone Reges, quos furor impius
Exterminaturus per Orbem,
A CAROLI capite auſpicatur;
Quo nulla dudum ſplendidior malo
Illuxit Orbi lampas, & in Polo
Non ſidus ullum putiore
Lumine Cœlicolis renidet.
O te Parentem juris & Imperi
Læſi laceſſat gloria numinis!
Exurge vindex, & rubente
Sacrilegos jaculare dextrâ;
Sacræ nocentes cædis alaſtoras,
Profeſſioni dedecores ſuæ,
Qui februis nullis piandum
Hui facinus pietate fucant.
Huc arma, huc iras vertite Principes,
O qui Deorum fungimini vicem;
Vos perdere hanc decet Megæram,
Vos decet his vacuare monſtris
Hui! ſub ſtupendi pondere criminis
Mundum gementem: fundite, vertite
Piaculares parricidas,
Pus olidum ſcoriámque Terræ.
Vos docta magni pectora ſpiritus,
Sævite pennis tela acuentibus,
In publicos donec latrones
Publicitus moveantur arma.
Nunc Muſa diras, ignea nunc cedò
Hamata dura ſpicula cuſpide,
Quæis Cerberos Diti magiſtro

Devoveam,

Devoveam, puerósque Terræ al-
lidam Parenti quos ego! ſed ſatis
Frontes inuſſi ſtigmate noxias:
Has felleo ſtrumas aceto
Perfricui, numeriſque ſalſis.
Stricti & ſoluti hanc trivimus aream.
Sed ſolus Hydra perdomita potens
Tu, Magne Salmaſi triumpha;
Nos pedibus ſequimur quadrigam.

In impuriſsimum Nebulonem Joannem Miltonum, *Parricidarum & Parricidii Advocatum.*

QUò quò citato ruitis injuſſi pede
Acres Iambi? nempe properè calcibus
Tritum Gigantum ignobilem nepotulum,
Regum Patronum dente rodentem fero,
Ipsósque Reges. Méne virus hoc malum
Hoc carcinoma tangere? Ah piget, pudet.
An quem niſi unco tangere haud lictor ferat,
Sed nare preſsâ rapiat in Gemonias,
Calcibus honeſtem alaſtorem, me polluam?
Faſtidioſum ſed licèt pedem abſtinens,
Haud te, ſceleſte, patiar acceptam tuæ
Impunitatem ferre turpitudini.
Eho! latronem peſſimum Loratii
Corripite jam jam; quadrupedem conſtringite:
Debeo celebre Virgidemiæ ſacrum.
Vos hunc futurum diſcipulum Cruci, prius
Stimulis forate, grande præſidium popli,
Columen Senati; fuſte perjurum caput
Commitigate; bubulis pollincite
Coriis, Sabæi thuris & myrrhæ vicem;
Lorúſque totum facite ſit tuber latus.
Ceſſatis etiam? cædite, fodite, dum malam
Bilem cruentus quâ tumet ffillaverit.
Pòſt quum cutem flagella vermiculaverint,

Pexum

Petum & fricatum vimine politicum ſophum
Jubete plorare ante Salmaſi pedes,
Majore qui te mactet infortunio
Impure ſcurra. Qualis inſontem vafræ
Lycum geronem peſtis, haud ut tu coquum,
Raptum valente torſit iratus manu
Oetæus Heros; ille diffracto procul
Latè cerebro ſaxa reſperſit cadens;
Patiêre ſimilis robur Herois miſer,
Corripere ni te fœtidum & totum luem
Abominetur: tum gravem forſan queas
Eludere manum inanitate nubilâ.
Quid faciat ingens te levi Salmaſius
Tenebrione, tam minuto, tam nihil,
Quem prenſat incaſsùm Ultio, non invenit.
Tén' ſterquilinium, tén' cucurbitæ caput
Auſum Monarchas rodere & Salmaſios!
Nunc bufo pardum, bubalum mus verberet.
Opicus leonis vellicet ſorex jubas.
Inſultet urſo eruca, milvio culex:
Scarabæi amicam concacent avem Jovi.
Ipſúmque merdis inquinent albis Jovem.
Quidni in nova (ſi Diis placet) Republica,
In qua ſceleribus ſumma rerum devenit
Ad diabolares ſervulos, fæcem meram,
Aut ſi quid imâ fœce fœculentius,
Diráque Matre Nocte nocturnos magís.
Hi nempe faciunt, Regis immemores Dei,
Pedibus coronam ſuppedamentum ſuis:
Mimúmque honoris actitantes vernulæ,
Perpetua ſperant iſta Saturnalia.
Hi ſacra Regum capita ceu pilas habent;
Et interempto Rege per ſummum nefas,
Juſsére ſemet eſſe Principes ſibi;
Domóſque cæſi, purpuram, fundos, opes,
Inter ſodales dividunt ſicarios,
Cædis patratæ præmia, & quantum queunt
Tortoris animi ſcilicet lenimina.

Porrò ut profani crure sublato canes
Quidquid supra se est gestiunt commingere,
Si quidquam honestum, nobile aut probum est super,
Violare gaudent ultimi mastigiæ :
Virisque magnis imputatur crimini
Quòd sint fideles atque latifundii.
Hîc dicat aliquis rebus in nostris novus,
Cives, quid ad me Darius an Davus regat,
Plures vel unus ? publica an privus moror,
Præbere doctus colla cujusvis jugo ?
Paucis reponam. Nullius jugum abnuam,
Modò non fidele juris excutiam jugum,
Nefásque dirum calculo approbem meo.
Non si supremis prona dignitatibus
Præbere populos colla Paulus præcipit,
Ideo parari parricidis culeos,
Cruces, secures, entheus doctor vetat,
Si qui latrones culmen ad summum sibi
Fecere tetro parricidio gradum.
Nec dum nefando perduellum crimine
Rex sacrosanctus stat foris, pulsus domo,
Fidem arbitrúmque fœderum appellans Deum,
Decet quibus jus & fides intus salit
Extorrem avito arcere patrimonio ;
Nè nempe morem non gerant latronibus
In quos tyrannos miles est quivis homo.
At cuncta ferrem, plebis unus, ni in Deum
Imò in Deum ipsum cuderetur hæc faba.
Nam quod sceleribus omnibus magis scelus,
Vasto gementem pondere Orbem degravat,
Hæc sæva facta, fœda, dira, tyrannica,
Ipsúmque CAROLI immane parricidium,
Quo nil peractis vidit antè seculis,
Quo nil futuris Sol videbit atrocius ;
Hæc dira facta, hæc scelera patrantur palàm,
Severioris sanctitatis gestibus,
Ipsi imputantur fini & Authori Deo,
Opima Princeps victima offertur Deo,

Scelere

Scelere litatur, scelere libatur Deo:
Hic succus atræ pestifer lolliginis,
Ecclesiæ urens toxicum præcordia,
Orci triumphus gestientis, & sacræ
Professionis horror & pudor simul,
Cœli solique grandis execratio.
Tamen repertus (proh Deum) in terris homo,
Hominisve speciem præferens fœtus Stygis,
Qui luctuosum seculi ultimi nefas,
Quod Mundus horret, quod bonos omnes coquit,
Solémque rugis improbantem contrahit,
Pudoris expers audeat defendere:
Tenebricosus rabula, pus & fel merum,
Atróque cœnum maceratum sanguine;
Innominandus balatro, qui quod non potest
Virtute apisci nomen ambit crimine.
Conductus ergò litterator Tartaro,
Consarcinavit mille sycophantias,
Mendacia, dolos, mille contechnatus est,
Malum bonúmque neutiquam discriminans,
Ut sorde quâvis lutulet augustum caput,
Sacrúmque scindat Martyrem immerito suo,
Salmasióque rabidus oblatret canis.
Adesdum alastor gnave, paucis te volo.
Tén' ergò in istam spem patrem pauperculum
Eduxi genium sæpe fraudantem suum,
Ut tu bonarum sugeres lac artium?
Quàm præstitisset te bubulcitarier,
Agitare plaustrum, vel molas trusatiles
Versare aselli sorte simpliciter rudem!
Saltem potesses, nil tuæ patriæ nocens,
Occlusio em habere stultiloquentiam,
Nec in malam rem compulisses literas,
Ut esset unus qui sui Regis necem
Piacularem comprobaret, improbus
Grammaticaster, igneo calamo ferox,
Nec parricidis advocatus deforet.
Námque inter istos belluis ipsissimis

Plus belluinos, & feris magis feros
Enthusiastas, nullus (absque te foret)
Pro parricidis atque parricidio
Queat Latinas explicare copias.
Indè intumescis verbero; Salmasium
Doces Latina verba, proletarius
Locutuleius literarum Principem,
Porcus Minervam, Nestora hesternus tyro.
Tantámne cuiquam inesse sincipitis cavi
Vacivitatem, sit licèt muco grave,
Ut se suámque perditum famam ruat,
Doctíssque cunctis & bonæ mentis viris
Volens sciénsque debeat ludibrium?
At te timore libero ludibrii:
Graviora pressant; ira risum summovet.
Tot fœda sanctos in Dei vicarios
Convitia, probra, injuriæ, calumniæ,
Aggesta crimina altiùs, nè perpluant,
Horrore mentes efferant legentium,
In pectore iram, in ore lachrymas cient,
Tibíque tantum furcifer, odium creant,
Ut non adæque spumeam rabiem canum,
Atrúmque virus oderint serpentium,
Non succubantem Dæmoni sagam Infero,
Tetram inferentem gregibus & satis luem.
O si timendus omnibus tàntum fores
Quantum execrandus nemo formidatior
Esset per Orbem; mox & ejulantibus
Matres alumnis intonarent asperæ,
Miltonum adesse, formidandum dentibus
Ut cultra longis qui puellos esurit.
Bene est, quòd hostis publicus, minis ferox,
Sinone vafrior, sævior Busiride,
Quærente catulos tigride incitatior,
Idem es fugaci imbellior cuniculo,
Populo execranti simia contemptior,
Minor pediclo, turpior bufonibus,
Summænianis nuribus inquinatior;

Nec

Nec quiſquam inanes quos fremens bombos crepas,
Vertiginoſi vaticinia ſpiritus,
Phaleras minaces, unius pili facit.
Hinc publica modò creſcit indignatio;
Quæ te nefandum, ni repens vertis ſolum,
Obruet, ut hoſtem generis humani lupum:
In quem agminatim plebs agreſtis undique
Pagis relictis ſudibus & ſaxis furit.
Mox ut bidental publicè vitaberis,
Cognominéſque, ſi ſatis ſapiunt, tui
Abjudicabunt nomen infauſtum brevi,
Inſontibus nè pœna ſontis incubet,
Odiíque quondam publici ſint victimæ.
O téne cæcorum omnium cæciſſimum
Non cernere, œſtro percitum lymphatico,
Mala quot creâris capiti & ætati tuæ,
Cædis magiſter dum venis prædonibus,
Tuúmque monſtris omnium immaniſſimis,
Ruentibúſque in maximam malam crucem,
Veſanus offers ſuccidaneum caput.
Humana quid non corda cogis aggredi
Lucri doloſi turpis eſuritio?
Hinc nempe, avare nebulo, carpis maximas
Opimitates, dum tui Reges regunt.
Agedum ſceleſte, commodum ſere & mete;
Nunc horrea imple donicum eſt ſerenitas:
Æqui boníque uberrimo diſpendio
Rectæque mentis præſtina multas opes;
Et quo pudore pectus eſt vacivius,
Hoc eſto nummis fartius marſupium,
Prudénſque vili conſcientiam cave
Vendas. Sed heus tu quod facis citò face:
Sit venia dicto triſte ſi verbum eloquor;
Rex CAROLUS inſtat: Ecquid hem! mala merx tremis?
Cum Rege Virgo vindicem gladium gerens
Juſtáſque lances, horridas tyrannidi.
Agè latro, quicquid factitas, fac ſi facis;
Quod mentiendo, fraude, ſutelis potes,

Quod

Quod insolenti fortis impudentiâ,
Quod sanctitatis subdolis præstigiis,
Nugis canoris, molle pellitis strophis,
Si quid dolosi, si quid est in te viri,
Nunc duplicatis prodeat conatibus.
Jam jam figlinâ sis rotâ versutior,
Zonam secante fure confidentior,
Agyrtâ alente viperas vocalior
Mendaciórque, chiromante nequior,
Pejor Cromello, audentior Ravillaco.
His, nebulo, mactus milita virtutibus,
His vos Tyranni, vósque Legati foris
Sicariorum (proh Dei atque hominum fidem !
Legationem obire parricidium
Audet per Orbem) capita conferte ocyùs,
Movete nervos, nil inausum linquite ;
Hoc agite celeres, est periculum in morâ ;
Hoc agite si quâ proximam vobis crucem
Effugere detur, vestra quæ jam pectora
Pavore quassat, spiritus in faucibus
Angit nocentes, & cibo negat viam,
Diráque somnos sæpe rumpit imagine.
At fortè mentes nupera insulsas lacie
Speíque musto inebriat * victoria.
Pax ! fata notam mox sibi invenient viam.
Nec festinantes clauda sontes deseret
Vindicta Cœli, pœna post equites sedet,
Et propria justæ jura constabunt cruci.
Produxe jam vos ad crucem satis fiet,
Huic vos relinquo. Quod bonum sanstúmque sit,
Tibi resigno collocandos, Crux mala,
Hos candidatos, & tuos mando tibi.

* *Vigorniensis Anno* 1651.

In Zelotas rebelles.

Anno 643.

O Qui lucifugas inimico lumine fraudes
Prodis, & ex antro nudas producis Averni,
Huc oculos adverte Deus, Satanæq; profunda
Fac pateant latè clauſtris arcana revulſis;
Quódq; vides videant alii: fas eſto per Orbem
Nôſſe incruſtatos falsâ pietate rebelles.
Ecce tuum divi torquendo oracula Verbi
Impingunt tibi, Chriſte, ſcelus; tibi cæde tuorum
Sacrilegi dirum meditantur condere regnum;
Crudeles ſtultíne magis, qui ſanguinis atro
Cæmento expectent Chriſti coaleſcere Templum?
Scilicet huc jejuna dies trigeſima tendit,
Jejunæque preces, jejunus ſermo minacis
Zelotæ furias populo ſpirantis & ignes;
Hoc veneranda volunt collegia vaticinantum
Textorum, è dolio qui ferre oracula ſueti
Pulpita nunc implent, & vulgus mobile verſant.
Huc ſpectant toties vano inclamata popello
Publica libertas, & ſummi jura Senatûs;
Nempe ut jus detur ſceleri, legúmque refixis
Limitibus, juſsáque foràs pietate vetuſtâ,
Sceptra gerat latè Pietas ſine lege novella.
Qui liceat (ſed poſt ſacra conventicla precéſque)
Exercere piis ſacras impune rapinas,
Enthea ſtupra, pias cædes, incendia ſancta,
Effractæ pateant puris nebulonibus arcæ,
Maſtatíſque piè rubeant concivibus agri.
At CAROLUM ingentem, quo nil præſtantius Orbi
Cœlitus indultum, ſolio detrudere juſto,
Pellere proſcriptum, ſtrictóque invadere ferro,

Hoc

Hoc Pietas & jura volunt, sic itur ad astra.
Stringite tela viri ; furiis accendite mentes,
Igne domos, sacram configite Majestatem :
Quotquot legitimo gladios intendere Regi
Abauerint, ferro sontes tollantur & igne,
Sic Pietas Pharisæa jubet, sanctúsque Senatus.
Hæccine, Rex Superûm, per quem dant jura Monarchæ
Cernis, & ex alto penitùs scrutaris Olympo ?
Et pateris? cur tela tibi, cur fulmina cessant ?
Euge ! tibi aspersam latronum crimine labem
Elue, juste Deus, tua si tibi gloria curæ.
Hem converte, secùs Catharos everte rebelles
Funditus, ut validi quondam gravis impetus Austri
Stravit humi vulsas imis radicibus ornos.
Incute vim telis quæ ter justissima torquet
Numinis ille tui Majestatísque character
Proximus à Christo CAROLUS. Commiliter illi
Porta tonans Cœli, decertantíque ministret
Fulmina perjuros debellatura Gigantes.

EPICE

EPICEDIUM

Illustrissimi

HENRICI · CLIFFORDI

CUMBRIÆ Comitis.

FInge pares numeros Heroi Musa relato
Divorum in numerum; da fortis metra cothurni,
Non molles Elegos. O magno nomine major,
Gloria quem niveis attollit lucida pennis,
Cui generis splendor Fastos antiquior omnes
Exuperat, celátque cava sub nube vetustas
Nobile principium, ceu Nilus originis expers.
Clara tuo pendent quæ circumpicta fetetro
Stemmata non te æquant. Virtus tibi stemmata Virtus
Sanguine nobilior meliori finxerat auro.
Quæ tecum alternis arctè complexibus hærens
Se tibi jungebat comitem, propriámque dicabat.
Virtutúmque caput Pietas Regina sedebat
Intus, & ingentes animi tractabat habenas.
Quàm bene conjugio Virtus sociatur Honori!
Sic gemmam rutilis accendit bractea flammis,
Fulgorem adjiciens pretio; sic arte docetur
Aurifícis furvo radiare pyropus in auro.
Miremur memores in magna sorte ferentem
Majores animos, sed eundem mente benignâ
Æqualem imparibus, infra semétque minoréque
Et Jesus humili se pectore demittentem.
Miremur placidam forti sub pectore pacem

Magnanimi

Magnanimi Herois, nam qui victore lacerto
Torsit in adversos certissima tela Gigantes,
Antè diu sacram prætendens mitis olivam,
Pacis inire vias, Martémque avertere regno
Heu frustrà voluit, fato obsistente Britanno:
Conatúsque pios eluit fraude Pelasgâ
Prostratus, suppléxque priùs, modò perfidus hostis.
Ergò Deus bellum tribuit cupientibus, idem
Cliffordo ingenti pacem, quâ Rector Olympi
Se beat, & seipso ter constantissimus implet.
Ille pace fruens magnâ placidissimus Heros,
Jam sedet in portu, dum nos vertigine Mundi,
Bellorum eventu vario, brutóque tumultu,
Semineces rapimur, tumidi ludibria Ponti.
Heu miseri proprio violamus viscera ferro;
In primúmque Chaos metuit labefacta reverti
Anglica luxato nutans fundamine tellus.
O diris erepte malis! cur flebibus urnam
Prosequor elapsi, tempestivúmque recessum?
Sed lachrymis nutritur Amor, ea justa volentes
Solvimus, invitíque simul; longúmque Valeto
Dicimus, & lachrymis magno libamus amori.

Psal. II. 4. *Si fundamenta subruuntur quid faciet justus.*

Sicubi porticibus surgit laqueata superbis
Regia celsa vetus, illæsa falce temporis;
Territa si subitò concusso cardine Tellus
Térque quatérque tremens solum columnis subtrahit,
Protinus alta cadunt subductis tecta columnis,
Casus & ipse novo Terram tremore concutit.

Nostrarum

Noſtrarum hæc rerum facies, ruit ecce columna,
Déque domo patriæ ſaxum angulare demitur.
Heu quot præcipuas Martis tremefacta tumultu
Imperii miſeri Tellus columnas ſubruit!
O nè robuſtis Atlantibus orba fatiſcat
Regia celſa vetus, & cum columnis corruat!
Chriſte Salus Mundi, nullo tibicine fultæ
Auxiliare domo; jamjam labantem ſuſtine.

Poeta ad ſeipſum.

HUi cur carmina funditas inepte
Quæ nemo legat? occidit patronus
Muſarum & tuus, ille qui ſolebat
Noſtros eſſe aliquid putare verſus.
Quin cum Judice carminum tuorum
In crypta generi ſacra vetuſto
Exanguem jubeas jacere Muſam.
An ſperas tumulum ſuperbiorem?

Nobi-

1649. *Nobiliſſimo Puero.*

INgenuus, natúſque ſacro ſub Principe liber,
Quid moror hîc? ubi Tartareis educta cavernis
Inſidet ingenuis atrox cervicibus Hydra
Multorum capitum. Satis eſt vidiſſe coronam
Plebeiis tritam pedibus, dirámque ſecurim
Auguſto impactam capiti. Non poſſumus ultra
Regali in ſolio bacchantem cernere vulgi
Colluviem fœdam. Vivant ſub legibus iſtis
Quos rapto vixiſſe juvat, queis regia cædes
Et dulces præbet directa Eccleſia prædas.
Hinc mecum Generoſe Puer; fuge littora mecum
Barbara, deformem ſemeſis artubus aulam
Cyclopum, ſaniéque domos tabóque fluentes.
Quàm longùm hîc imæ populi ludibria fœcis
Servorum augemus numerum? dum libera contra
Gallia magnanimos regalibus excipit ulnis;
Gallia legitimo Imperio maghóque Monarchâ
Lætior, ambroſiis quàm fronte comante racemis;
Queis te, Chare Puer, toto cum divite cornu
Pomorum invitat; tibi brachia deprimit arbos,
Et cultâ hortorum blandè Pomona renidet
Luxurie. Tibi magnifica Lodoicus in aula
Nobilium fautor generoſum pandit Aſylum.
Outinam *CAROLI* germanâ mente miſertus
Exilium, jam tela paret, jam fulmina mittat
Sanguine Terrigenûm nuper rubefacta, ſuperbos
Fraterno è ſolio deturbatura Gigantes.

POEMATUM

Libellus Tertius,

SYLVA VARIORUM.

Sunt certa piacula quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.

CANTABRIGIÆ,
Prostant venales apud *Johan. Creed*
Bibliopolam. 1669.

A

Generoſo Viro, pietate eruditione & moribus antiquis inſigni

THOMÆ FOTHERBIO.

QUòd in iſta ſenectute, & ſevero hoc vitæ inſtituto, ad carmina animum appulerim; non opus habeo, Vir amiciſſime, conſilium meum apud te tueri, qui compertum habes meæ vitæ modum. Quam operam ſacro meo muneri impendam; & quibus occaſionibus ad ea conſcribenda compulſus fuerim, quæ à carminum vena toto cælo diſtant, tu probè nôſti; & quæ me curæ identidem arietent ipſe experior. Durus fuerit qui labore feſſo & turbellis implicito innocua hæc delinimenta negaverit, quæ ingenium dum relaxant acuunt. Nulli tam ſunt graves, nulli tam occupati viri, qui in medio negotiorum æſtu non ſoleant interjungere, & ludo aliquo aut hortulo, aut deambulatione laſſum animum reficere. Hic verò eſt ludus meus, hic hortulus, hæc vireta, quò prodeambulare libet quando labore aut moleſtiâ contractus animus amœnitate aliquâ poſtulat exporrigi. Neque ſunt horum

rum poëmatum pleraque omnia ab Ecclesiastico meo munere aliena, utpote Dei Opt. Max. celebrationes, & virtutis admivicula, & pietatis alloquia, quibus memet erudire & ad Deum erigere studui. Quod officii si aliis etiam præstiterint non erit cur me hæc edidisse pœniteat. Sanè si quandoque verè ludere mihimet permisi, non commisi ut severissimorum Aristarchorum censoriam virgam jure possim reformidare. Non adeò mihi blandiuntur mea hæc oblectamenta ut sperem fore ut omnes iis perinde delectentur; Satis erit mihi si piis candidisque ingeniis placuerint, abundè si profuerint. Tu interim, Virorum candidissime, opusculum istud, quod eruditi & castigati judicii tui examen subiit, patere ad te recurrere, & quantùm tibi debeam, quàm te ex animo colam, palàm profiteri. Equidem nisi te præcipuè coluero, mihimet plurimùm defuero. Sive enim primariam tuam eruditionem admiror, sive pium candorem spectо, sive tua in me merita recolo; Nullum novi ex quo inter homines versor, digniorem quîcum sacro amicitiæ fœdere constringi eligam, aveam, & seriò ambiam. Vale.

POEMA-

POEMATUM
Libellus Tertius,
SYLVA VARIORUM.

PSAL. CXXXVII.
Super flumina Babylonis Paraphrasis liberior.

CAptiva Judæ turba, præda barbari
Victoris & ludibrium,
Labore longæ defatiscentes viæ,
Tandem assidentes flumini
Diræ Babelis alluenti mœnia,
Mœstam quietem carpsimus.
Illinc superbâ mole surgentes feræ
Turres notantes regiæ,
Dum victa Sion pristinum ostendit decus
Celsâ ruinarum strue,
Toti in solutos ejulatus fervidi
Acri dolore erupimus,
Solymæque fletus imbre profusissimo
Funesta justa solvimus,
Patriæ jacentis perperam populus memor
Suo sepultæ pulvere.
Lyras verendi cantibus Templi sacras,
Tunc lugubri silentio

Sortis querentes dura captivæ mala,
Ramis saliĉti proximis
Laceris revinctas fidibus alligavimus,
Serviliter dependulas;
Cavísque ventus intonatus nabliis,
Spirante luctum sibilo,
Raucum sonorem consonum gementium
Admurmurabat planctibus.
At ecce victor insolens has instrui
Doctéque pulsari jubet.
Canite sacratos, inquit, illi quisquis est
Hymnos Abramidum Deo;
Quos ritè festis læta dum Noviluniis
Albata pangebat cohors,
Sublimis ædis aureis laquearibus
Reciprocabant fornices.
Tum nos silentes, ora defixi solo,
Sic mente mussitavimus,
Itáne tumentes rubra fletu lumina
Solvemus ora cantibus?
Itáne Babelis ebriæ lubentiæ
Judæ ministrabit dolor?
Inimica Terra, gens profana, nefaria
Hymnósne sanctos rideat!
Ingénsque Jovæ fastuosos hostium
Nomen triumphos augeat!
Sed ante nostrâ fraude quàm Solymæ malis
Accedat hoc dirum nefas,
Cæsæque natos Matris, heu! superstites,
Invadat hæc oblivio;
Oblivio sacræ longa nos teneat lyræ,
Artísque blandæ tædium:
Linguâ palato hærente, mutos deserat
Arente fauce cassa vox,
Dum dulcis ille totus in lachrymas abit
Nativus humor faucibus.
Te Solyma sancta, mente te revolvimus
Augusta Templi machina;

Promásque

Promúſque lucis ingementes nos tibi,
Condus querentes aſpicit:
Nullúmque lachrymis ponimus finem aut modum,
Exordiúmve gaudiis,
Ni cauſa lachrymis ſtrata Sion, præbeat
Cauſam reſurgens gaudio.
At ut profundis præſtet aliquod in malis
Ægris levamen ultio,
O qui impioborum crimina memor annotas,
Iráque plectis vindice,
Memori reconde mente quot dicteria,
Quàm ſæva, quàm procacia,
Ferox Idume perditis ingeſſerit,
Noſtris ruinis ſe beans;
Quum rupta Solymæ barbaro ariete mœnia
Hoſti paterent impio.
Vertite, boabat, rapite, rumpite, perdite;
Templum, domos, arces, fora
Effoſſa ab imo ſubruite fundamine.
Ignara Idumææ quas vices
Divina Nemeſis volvat! O quanto brevi
Hoc crimen invidentiæ
Velis redemptum, quum tibi nocens caput
Ruina gravior obruet!
Et tu protervo proterens gentes pede,
Siticuloſa ſanguinis,
Sævas ſuperbi, victa propediem Babel,
Patière victoris vices.
O quis beatum ſemet ultorem ſacræ
Sionis everſæ feret,
Tuóque, ſcelerum dira Mater, ſanguine
Noſtro litabit ſanguini?
Felix parentis qui malæ mala pignora,
Ut ova calcans aſpidum,
Arrepta pedibus, uſque & uſque cautibus
Incuſſa duris conteret:
Sparsóque ſobolis proluet cerebro ſinum
Et uda Matris lumina.

Christiana Felicitas.

BEatus ille quem Deus piamine
Cruoris aspergit sui;
Qui se perosus improbum, vilem, reum,
Genioque diffisus suo,
Iræ Parentis, Filii, supplex nocens
Opponit innocentiam.
Qui fraude puras tollit ad Cœlum manus,
Largásque tendit pauperi.
Cui pectus instar turris est ahenæ,
Æqui bonique conscium.
Qui non sibimet vivit, at totus bonis,
Aris, amicis, patriæ;
Cui facta dictis consonant, urrisque mens,
Prudens, serena, candida.
Qui non Lyæo, non litat Cupidini,
Sacræve nummorum fami;
Non inhiat ostro Principum, non publici
Auram favoris aucupat.
Sed irretorto spectat aurum lumine
Fasces, voluptatem, decus.
Non semet ultra nititur, sed limitem
Intra brevem se contrahit.
Quovisque dignus decore, Virtutis jubar
Securus umbræ possidet.
Non ille rebus insolescit commodis,
Nec efferatur arduis.
Parisque vultu utramque fortunam regit,
Compos suimet & Dei.
Non delicatâ mente portentum fovet
Informis ægrimoniæ;
Sed læta sensu Numinis tranquilla mens
Sanum sibi servat larem.

Hâc

Hâc mente Mortis sponte rictus osseos
Salutis ut portum appetens,
Æternitatis candidatus aureæ
Jam mente Cœlum præcipit;
Et expetitum corporis repudium
Nunc inchoat fastidio.

Arx mea Deus.

PRati virentis in novello gramine,
Quod verna pingit floſculis amœnitas,
Loquax fluente rivus argento secat,
Zephyris sereni recreabar aëris,
Serenus ipse, auráque temperatior.
Non puriores à Deo recens Homo,
Amœnitatem Edenis æmulans sua,
Spirabat auras; quando Pax infantiam
Mulcebat Orbis. Innocentiæ comes.
At ut secunda tristibus cedunt, ubi
Subitò retrorsum circumegit se rota;
Repentè nimbis Africíque fibilo
Facies Olympi nigricans inhorruit;
Tum mugientum murmur audiri procul
Nube è coruſca fulminum, & jam non procul;
Tonitru tremendi concutit Terram fragor,
Insequitur imber ingruens: Ego me in pedes;
Ædémque vici proximi cursu peto,
Arcem salutis deligens domum Dei,
Diváque sedeo tutus in custodiâ;
Dum tetrica flammis ardet erumpentibus
Rutilíque turres æthra telis dejicit.
Jugis refusi saxa torrentes rotant,
Suíque mistos volvit opilionibus
Greges aquæ vis turbulenta, concita.

Spes

Spes longa messis, & boum perit labos;
Et vorticoso devoluta turbine
Impacta latè sternit eluvies domos,
Ipsúmque quod me protegit Templum ferit.
Frustrà; impetitum firmat ingens incola,
Suísque fretas arce mentes præsidI.
Ac licut undis arietatur irritis
Circumfremente scopulus illæsus salo,
Contra procellas atque sæcla pertinax;
Infracta Mundi assultibus domus Dei
Frustrà feritur, sospitatis arx meæ,
Cœva Cœlo, cura Cœli maxima.
Hæc ergò ventis præbet immotum latus,
Ferocientes hostium minacias
Spumis refringi cogit indignantibus;
Supráque nimbos, infimæque turbidos
Auræ tumultus erigit placidum caput.
De tam benigno plurimi tutamine
Plurima celebrent, plura plurimis ego;
Qui tot periclis, tot malis exercitus
Ab æstuosis enato torrentibus;
Deóque tutus Martiales tot lupos
Tuli irruentes, tot togatos vultures
Incolumis, uno nè quidem pilo minor.
Huc huc frequentes commeate, hîc figite
Sedem supernæ vos domestici domûs;
Quam dum procellæ verberant extrinsecùs,
Perennis intus Pax Dei tutam beat,
Vivóque fonte simpulóque argenteo
Cœlestis hilarat intus ebullans Charis.
Hîc est manere nos bonum; hîc ridet Salus,
Divini amoris gustu inenarrábili
Æternitati Gloriæque prævia.

Nature

Naturæ Fanum.

TE feſti Genium loci
Auguſtum veneror, Te nemoris ſacri
Magnum ſuſpicit incolam
Mens hæc plena tui, Conditor unice.
O fontis vitrei latex,
Argutis avium queſtibus obſtrepens;
Soli non penetrabiles
Umbrarum latebræ, roſcida gramina,
In Cœlúmque minantium
Scabrorum ſcopulorum horror amabilis:
Hîc ſylvæ ſpatium vagus
Quærebam, & Zephyri flamina mollia;
Hui! Templum invenio, Deum
Hîc reſpiro Deum mente calens novâ.
Hîc numen trepidantibus
Fibris, haud temere credulus, haurio.
Papæ! ſi nemorum comis
Tantum conſpicui Numinis inſidet,
Horroréque pium, gravi
Miſtum lætitiâ, mentibus incutit;
Quàm præſens ſolido Deus
Implet ſideriam Numine regiam,
Lætùm lucidus aſpici?
Quantus Cœlicolûm mentibus influit?
Quàm ſe vivificum meæ
Infundet Superûm cœtibus additæ?

Eſt

Èſt Deus in nobis.

SPONSA.

PEr ſpiſſas nemorum ramis coeuntibus umbras,
Per muſcoſa in rupibus antra,
Per liquidos fontes, per prætexentia ripas,
Florida prata & glauca ſalicta,
Per juga ſubjectas circumſpectantia valles
Et ſpeculam præbentia celſam,
Acribus en oculis cursúque volucris anhelo
Dilectum errabunda requiro.
Quæro oriente die Dilectum, quæro cadente:
Quæque ejus veſtigia luſtro
Nullibi non video; & placito niſi ludor amore,
Trans virgulta trementia vento,
Et dubias Euris ramos agitantibus umbras,
Dilectum formâ ſpecioſum
His oculis vidi, vel me vidiſſe putavi:
Aſt ulnis aſtringere viſum,
Et magnum amplexu ſatiare ardentis amorem,
Non datur. Ah! quum prendere nitor,
Amplexu in medio fugit, heu! fugit amplexantem.
Paſtores qui rupe ſub iſta,
Saltibus in riguis vigiles, & pura ſecundùm
Flumina, Sponſi paſcitis agnos;
Dum latus umbroſa depono ſub ilice teſſum,
Si vos Chriſti tangit amicæ
Cura laborantis divino vulnere, veſtris
Semianimem fulcite lagenis.
Dicite quos lucos præſenti Numine Sponſus
Illuſtret, quas diligat umbras.

Dicite,

Dicite, nam nôstis, quâ Sponsum sedula curâ
Inveniam, inventúmque retentem.

PASTOR.

Nympha alias tantum formâ præstante relinquens
Quantum stellas Luna minores,
Quid formam insignem, divo quam Sponsus amore
Deperit, ipsâ morte redemptam,
Solibus infuscas rapidis, & pulvere currens
Collutulas sudoribus uda?
Desine quærendo quæsitum amittere Sponsum.
Intus habes quem dispicis extra;
Non tibi ruspando per culta, per avia fessæ
Venanti procul inveniendum.
Est Deus in nobis, est in penetralibus imi
Pectoris; hoc purgare memento,
Intus enim vivit, sed velo carnis opacæ
Obductus non exerit omnes
Luminis & vitæ partes, sanctíque caloris.
Tum peccati noxia labes
Densum oculis glaucoma infert, capitíque stuporem;
Nec nisi per nebulam sinit ægram
Cernere, vel præsens Numen sentire Mariti.
Tu semel istas elue sordes,
Splendebit puro tibi cordis in æquore Christus,
Ut Sol munda fulget in unda,
Quum pelagi Rector tranquilla silentia ventis
Indixit, pontóque quietem.
Sanctus Amor diâ comprendens pectora flammâ,
Contemptus Mundíque fuíque,
Verbo nixa Fides, patrii Spes incola Cœli,
Mens recti consulta tenáxque,
Juncta voluntati Patris inconcussa voluntas
Quidquid agat, quocumque vocârit,
His est, Nympha, tibi Sponsus quærendus in antris,
Hos lucos, has diligit umbras:
Hi liquidi fontes Sponso inspectante beati
Illustrantur imagine divâ;

Hîc

Hîc tibi quæsitus Sponsus sese offeret ultro:
Mox etiam spectabilis extra;
Sive sub Occasûs roseive coloribus Ortûs
Effulget, seu fragrat in hortis;
Seu variæ lætùm Naturæ in fronte renidet:
Quin medio de fonte dolorum
Melle tibi fluet, è propriâ dulcedine præsens
In nectar mutabit acetum:
Ipse comes, dux ipse viæ, per dædala Mundi
Recto ducet tramite tutam.
Perpetuus lateri custos hærebit amico.
Consilium & vires trepidanti,
Afflictæ alloquium, vitámque in Morte perennem
Divinus præstabit amator.

SPONSA.

At te pro monitis, Vir Sancte, fidelibus ornet
Magna Salus vernante coronâ.
Hui! Cœlo admoveor, Cœlúmque in pectore, Sponsúmque
Invenio sapióque beata.
O Sponse, O qui me quærentem quæris, & idem
Me trahis! O mea Vita Salúsque!
Dum pectus, proprium solium tibi, sedula purgo,
Tu præsens virtute refinge.
Hîc regnato Fidem sublimis & inter Amorem.
Hîc Æqui rectíque Creator,
Virtutúmque sede docili stipante catervâ;
Has tecum proprias mihi præsta.
Me tua flagranti succendat gloria zelo.
Iftæ sint tibi semper apud me
Deliciæ; hi mecum saltus, hæc culta vireta
Æternùm te Sponse retentent.

Schola

Schola Morbi.

INvicte morbi assultibus *Casaubone*,
Heroa Græci desinant Tyrinthium
Convexa supra templa Cœli tollere
Quod bajulavit; & catenatos novis
Actos labores, prælisque prælia,
Canenda Famæ centilingui tradere.
Minus est leones contudisse, & ardua
Fregisse Lernæ colla, rictúsque horridos,
Quam tot dolorum monstra dira, renium
Penetrale & imi lancinantia pectoris,
Et quæ medullis intimis exæstuant,
Superâsse miti gnaviter patientiâ
Ferendo victorem. Hæc mihi victoria
Habetur ingens, si libenter induas
Quodcunque collo Rector imponit jugi;
Deóque concors quod jubet tibi imperes.
Jubeásque carnis consilere murmura.
Hanc ipse de se rettulit victoriam
Jesus, amarum de Parentis dextera
Sumens volenter hauriénsque poculum:
Hanc tu Magistri fortiter magni sequax,
Tua dum voluntas ad voluntatem Patris
Devota semet examussim comparat.
Est hac in arca delicati pectoris,
Et destituto viribus corpusculo,
Erecta pressu carnis ægræ sana mens,
Morbóque ab ipso colligens vires Fides,
Crescénsque damno: si tamen damnum vocas
Nocuum malarum fomitem cupidinum
Extingui, amicâ quum Deus mittit manu

Morbum

Morbum salubrem, residibus virtutibus
Diam palæstram, labis & noxæ luem.
Et omnis intus suscitamentum boni.
Hinc ut ciborum, sic voluptatum subit
Et inanitatum seculi fastidium.
Hinc mens docetur à bonis fugacibus,
Malo propinquis, ad perennes erigi
Beatitates; hujus à carnis luto,
Noxæque mœrorisque contubernio,
Ad Sanctitatis Gloriæque regiam,
Regémque ad ipsum. Grande id est solatium
Animæ revinctæ carnis ægræ vinculis,
Urgente morbo si caro sit ægerrima;
Tunc nempe ruinam ducit hoc ergastulum:
Opicus ruinam carcer extremam trahit;
Aliisque circum læta plaudit candidis
Cruore Christi parta Libertas piis.
Tum corruentis trans hiatus carceris
Palmam videre est summi in Arbitri manu,
Addentis animos, & levantis pondera,
Supremo agone quæ laborantes premunt.
Tum Pax serena, nobilisque Gloria,
Patente Cœlo, desuper luctantibus
Blandùm renident, & benigno lumine
Hilarant dolentes, spéque cœlesti beant.
Tibi hanc dolorum vellicato morsibus
Ipsi dolores cœlicam Spem suscitant.
Et amore carni mortuus, vivus Deo,
Habere Mundum res suas jubes sibi.
Bene est quòd istis unicè solatiis
Insistis, ardens solvi, & esse cum Deo.
Sed id cavebis, nè sitis cœlestium
Quam roborare debeat patientiam
Infirmet, actis si Deus certamina
Agenda plura destinavit addere.
Si terminandi morte culmine Imperi
Nè non fruatur justus hæres, quolibet
Sumptu & periclis mille depacisci tur;

An

An æviterni ſcriptus hæres Imperi,
Chriſti cohæres, arduum quidquam putet
Quo Cœli aditur permanens hæreditas?
Chriſtíne miles præſtinantis perpetem
Cruce ac cruentis gloriam ſudoribus,
Eò vocantem ſubſequi nolit Deum,
Et inire eandem quam ſuis trivit viam?
Vir Magne, cujus plurimis exercita
Morbi & laborum fortitudò prœliis,
Suam approbavit Imperatori fidem;
O perge quidquid eſt ſuper certaminis
Certare: perfer hoc tibi incumbens onus:
Precare, ſpera, fide, ſancte pertinax,
Perennitati prævium lætiſſimæ
Acerbitatis omne tempus eſt breve.

L THYR-

An

THYRSIS.

PALÆMON.

THyrſi quid immeritas obtundis queſtibus ornos?
Méq; vagum tacitæ per amica ſilentia ſylvæ?
Hoc bene, ſtultitiam mutis quòd teſtibus iſtam
Effutire libet; nimium crudeliter iſtud,
Quòd teneras cultro violas inſontia fagos
Ligna, ſacro ſi quæ tibi vulnere digna probantur,
Nugarum omne genus, figmentorúmque capaces
Arboreos libros Amaryllide conſcribillans.
At fortè egregii moniumentum vulneris omnis
Diligit, atque tuis accedit amoribus arbos.
Ipſi (quis dubitet?) Zephyri miſerantur amantem,
Et ſua ſponte tuis mœſti ſuſpiria miſcent.
Te ſolatur amans turtur, querulúmque gementi
Aggemit; & tremulâ fons hinc admurmurat undâ,
Indè ex rupe cavâ miſerans, miſerabilis ipſa,
Te juvat alternis reſonans ſingultibus Echo.
Nec ceſſare volens aliis miſerantibus una,
Illachrymat vernis Tithonia floribus uxor,
Proſequitúrque tuos lachrymoſo rore dolores.

THYRSIS.

Tu mihi debueras ægro fomenta, Palæmon,
Non adhibere ſalis nigri & mordacis aceti
Rodens unguentum pejoráque pharmaca morbo.
Sic valeas, ut nulla Venus radiantis ocelli
Præpetibus jaculis juveni tibi pectora fixit;
Nec tua dicturum tacituris tormina ſylvis
Egit in umbroſæ nemoroſa ſilentia vallis.

At

At nunc emeritus miles, glaciéque ſenectæ
Frigidus in Venerem, Veneris myſteria rides.

PALÆMON.

Id mihi vel primum eſt ſenii inter commoda, Thyrſi,
Quod ſævi imperio pectus ſubducit Amoris.
Aſt ego, ſi rectè memini, ſic ſemper amavi,
Ut fruerer, non opprimerer malè ſanus Amore,
Nec nemora & ſurdas pulſarem queſtibus aures.

THYRSIS.

Nimirum modicæ modicas in pectore flammas
Accendunt formæ; tibi proletaria, quale eſt
Uxorum vulgus placuit, primaria nobis:
Quâ non nobilior Paridis præcordia, totámque
Ilion incendit; ſed caſto armata pudore
Forma ciet rapidos tantò vehementiùs ignes,
Ipſa mari placido vernâque ſerenior aurâ.
O oculos clara aſtra meis! O frontis honorem
Ambroſium! O teretes ulnas! O candida colla!
O labii Charites ad quæ negat oſcula nati!
O dulcè illicibus ſurgens ſidénſque papillis
Horridulum pectus, durùm velut ipſa repellens!
Hei mihi, non noſtro penetrabile pectus amore.

PALÆMON.

At mihi non aliud ſonipes hinnire videtur,
Indomitus, ſimul hauſit equæ tremebundus odorem:
O caput arguтum! O cervix erecta cománſque!
O latos habiléſque armos, pectúſque toroſum!
O teretis lateris Veneres, & clunis obeſæ!
Una tibi & pecudi dominatur bruta libido;
Quámque cupit ſpeciem turbatis ſenſibus offert.

THYRSIS.

Hoc vero ſermone, ſenex odioſe, videris
Non mihi ſed Matri Naturæ indicere bellum;
Ipſe Deus, Mundo Naturæ nomine notus,

Femellæ illecebras, maribúsque cupidinis æstum
Addidit, & volupe indulgens geniale Creator
Providus amborum nexui, prolectat amantes;
Ut dulcem sobolem, damnis ab Morte medelam
Orbi præstet Amor, quem Terra, & Pontus, & Aër,
Agnoscunt Mundi Genium, rerúmque Parentem.

PALÆMON.

Tu modò Naturæ sequitor documenta magistræ:
Illa cupidineos rectâ ratione furores
Comprimit, & placido facilem se præbet amanti.
Illa tuis multas advertet amoribus aures.
Quoque sitim Veneris sedes, flammæque repescant,
Nullibi non promptum est; potior nisi Fastus Amore
Importuna tulit stolidæ fastidia menti,
Nec placet ulla tibi nisi formosissima conjux.
At tibi non tripodis vates, non antra Sibyllæ,
Responsum dederint scito constantius isto,
Nulla voluptatem promittens mira supremam
Forma fidem servat; sed cæcum & amore furentem,
Magnum expectantem quiddam, pariléque decori
Delicias, longùm optato potientis in actu
Fallit; & illa quibus sitientem donat amantem
A toto pariter donantur præmia sexu.

THYRSIS.

Téne, Amarylli meum, vitâ mihi charior, ignem,
Non modò quòd sæva es, sed quòd formosa relinquam?
An mea diffingam quanquam non mutua vincla,
Et mutem pulchros ullo diademate cassés?
Ante rosas glacie mutabit Flora Decembri;
Sólque celer spretâ lucis radiante quadrigâ
Tardigradis bubus volvet sarraca Bootæ.

PALÆMON.

Non mihi cum pulchrâ lis est Amaryllide, Thyrsi;
Est tecum: quia tu decus hoc muliebre, quod Author
Lætificare jubet, non imperitare, negato

Invitum

Invitum imperio dirâque tyrannide vestis.
Nempe tuam precibus sperâsti flectere Divam,
Dum libas lachrymis, & cor pro thure Sabæo
(Cor miserum) flammis adoles, hanc pronus ad aram.
Téne puellarum non noscere ventosarum
Ingenium? faciunt suspiria nostra superbas:
Sævas tristis Amor reddit, festivus amicas,
Et promptos aditus aperit; risúque, jocóque,
Lætis simpliciter, nec adhuc ætate malignis,
Nectit Hymen canto retinentia retia lusu;
Atque foris lachrymosus amans plorare jubetur.

THYRSIS.

O morum consulte senex! tua vera repulsus
Experior responsa procus; qui nempe jocosam,
Serius, & magno liquefactus amore puellam
Aggressus, pavefeci amens, precibúsque fugavi,
Ante mihi facilem, risúque necante benignam.
Hinc magis urit Amor, cui Desperatio folles
Subdit, & indignâ læsum irritante repulsâ.
Acrior in vetitum nullâ quia pectus amatum
Arte ferire potest, in se sua tela retorquet.
Ergò exspes ægéque vagor, lucísque mesque
Pertæsus, proprio præbens alimenta dolori;
Sollicitóque meas & motu ventilo flammas.
At tu cui pietate gravem, placidéque sagacem
Excoluit rerum longa experientia mentem,
Consilii miserere inopem; trepidæque celocis
Sume gubernator cauto moderamine clavum.
Et si qua poteris (& quid prudentia cana
Non poterit) portui jactatam appelle cupito.

PALÆMON.

O miserum, & nullâ pectus medicabile curâ,
Cujus ab alterius pendet sors anxia mente!
Thyrsi, tuam aggrediar lepidis Amaryllida dictis,
Et molles tentabo aditus, & fortè movebo;
Nam neque marmorea est, neque tu non dignus amari.

At tu, ſive alios ſibi fœmina legit amores,
Sive tuos optat, temet plùs ſemper amato;
Nec natum ſervire viro, virtute minorem,
Fœmineum ſexum cervici impone virili.
Hoc habet adverſum Naturæ effræna cupido,
Seu Venerem, ſeu quæris opum ſitibundus acervos
Quod per eam ſeſe imperio ſpoliare jubetur
Præſes Homo Mundi, ſummique Parentis imago.
Et ſibi ſubjectis ſemet ſubmittere rebus.
Is demum imperio rerum lætatur & uſu,
Qui compos dominúſque ſui, ratione magiſtrâ
Vota regit Venerémque domat, ſubponere ſpernens
Particulæ pecudis divinæ particulam auræ.

THYRSIS.

Hæc Sophiæ præclara tuæ documenta, PALÆMON,
In mea deſcendunt altè præcordia; ſed tu
Conceſſæ Veneri caſtóque procantis amori
Aſperior præter juſtúmque æquúmque videris.
Nam mea caſſa cadant & ſubventanea vota,
Si vinum labémque alieno offerre pudori
Atque meo, mea molitur maleſana cupido.
Et quiſquam licito litem intentabit Amori?

PALÆMON.

At tuus hîc licitos, ſi te ſcrutaris, amores
Reddidit illicitos furti ſibi conſcius ardor.
Quid magìs illicitum quàm quem ſibi Magnus amorem
Conditor aſſeruit Dominæ donare puellæ,
Quam ſibimet Numen finxit tua priva libido?
Huic totos animos: huic tota offerre precantem
Intima ſacrilegis fumantia pectora flammis?
Bella tibi quantùm ſatis eſt Amaryllis ametur:
Quantùm te ſequior, quantùm virguncula, quantùm
Lecta tibi in thalami ſociam, fidámque jugalem;
At Deus immenſum quantùm, ſine fine modóque,
Immenſum Bonus, immenſum Magnúſque Decorúſque;
Immenſa eſt etenim nobis hoc fine cupido

Indita,

Indita, vel toto non exſaturabilis Orbe,
Ut foret *Immenſo* plen3 & ſatiabilis *Uno*.
Iſte tuum (ac totum) ſibi vindicat Unus amorem.
Huic ſummo te ritè decet Dominóque Deóque,
Libantem lachrymis, imi penetralia cordis
Sacrificare pium, puris ardentia flammis.
Huic tu fidus amans Immenſo gratus amanti,
Ejus quicquid habes totum ſacrare memento;
Hanc ſpirantem ejus divo ſpiramine vitam,
Ereptam innumeris hoc aſſertore periclis;
Hæc tot paſta bonis, & dantis idonea laudi
Ora; inſignitam Genitoris imagine ſummi
Iſtam cœliginam mentem, tandémque futuram
Cœlicolam; niſi tu ad cœlum te, Thyrſi, vocanti
Surdus, ad indignum deflectis origine magnâ
Servitium; Patris oblitus, patriæque, ſacríque
Fœderis, ínque alios pravè tranſlatus amores.

THYRSIS.

Siccine me vacuum reris pietate, PALÆMON,
Ut mutem æternum mortali Amaryllide Numen?
Hoc verò avertat, mentem qui condidit iſtam,
Transfugium; Tellúſque mihi priùs ima dehiſcat.

PALÆMON.

Nempe amor iſte tuus divino eſt æquus Amori;
Réſque ſuas Chriſtum nondum ſibi juſſit habere,
Cultor & ipſe Dei. Sed nil mora aurea dicta,
Queis adimunt malefacta fidem, corámque repugnant.
Conditor iſte tuus, cui das bona verba merenti,
Vapulat, atque tui depulſus pectoris arce,
Exulat, hoſpitibus juſſus ſua regna novellis
Cedere, regna ſuum facilè ejurantia Regem.
Hoc tu, Thyrſi, memor menti committe fideli;
Quicquid eo quiſquam flagrans affectat amore
Qui ſibi gaudia, ſpem, votum, trepidúmque timorem
Mancipat, hoc ipſi Deus eſt; licèt ille ſacellis
Conſuetis Numen patriò de more ſalutet.

Nè tibimet, mi Thyrsi, volens impone sciénsque.
In pectus descende tuum ; temétque citarum,
Veráque fassurum, coram te judice siste.
Quæ tu summa levi fingis tibi gaudia mente ?
Quod summum tua vota bonum spe mulcet amœnâ?
Quæ tibi sollicitos exercet cura tumultus,
Pectoris, heu ! miserum, decumanis fluctibus æquor
Exagitans? Ciet hos varios in pectore motus,
Seu vehit Occasus Vesper seu Lucifer Ortus,
Una implens animum victricis imago puellæ ;
Una vorans fluidâ species in mente natantes,
Lucius ut pisces arctâ populator in undâ ;
Una facultates animi regina gubernans.
Et tu, Thyrsi, tibi dominans Amaryllida numen
Indigetare Deam cessas, cœlóque locare ?

Thyrsis.

Heu nimiùm veris (fateor pudeóque Palæmon)
Urgeor & vincor, mihíque est victoria vinci.
Hæc tua, sancte senex, Sophiæ documenta serenæ
Me mihimet monstrant, utinam quoque reddere possint.
Heu cupio metuóque simul mea vincla resolvi ;
Jam pultare fores Pietas exclusa laborat ;
Libertásque mei trans rara foramina retis
Conspicitur, nostróque in pectore diluescit.
Jam mens hæc dominos fastidit vincta minores ;
Adque Deum mens rursus avet fugitiva redire :
At tu propitio suasor mihi Numine misse,
Perge favente Deo, méque istis eripe vinclis.

Palæmon.

Pergravis est, humana tamen, tua noxia, Thyrsi,
Est pronus juveni lapsus, cui pectus amore
Æstuat, & blando contrà blanditur amori,
Subductam Christo Veneri transducere mentem.
At spes est sic ingenuè delicta fatentem
Versurum attritum studia ad cœlestia pectus.
Nec te destituent magno in certamine vires,

Auxilium

Auxilium illius sincero corde rogantem,
Qui summo affectu summè perfectus amari
Poscit, amatorem facturus amore beatum.
Id tibi nulla suo præstabit amore puella,
Sit licèt una sui ter præstantissima sexûs.
Advoco tot testes quot sunt in amore magistri,
Venati formas celebres, captíssque potiti.
Si nec capta beat, num te capienda beabit?
Expertum toties tristes Amaryllidis iras,
Et malè fida tuæ promissa cupidinis. O quot
Non exauditas venti rapuêre querelas?
Quot lachrymæ periêre tibi? dum ducit in hortis
Læta choros paribus Amaryllis cincta puellis,
Aut cantat violísque sinum fragrantibus implet.
Quin & adire times, & ei quæ quercubus istis
Dicere, nè coram non sit tibi copia fandi,
Néve odium proritet amor, queſtúsque rigorem.
At quicunque animi Christum penetralibus imis
Diligit, à magno dulcè invitatus amante,
Non lachrymas, non incassum suspiria fundit.
Quippe Deus, summi quanquam regnator Olympi,
Nullibi non quæsitus adest, audítque gementis,
Optantísque etiam votis attentus amorem.
Utribus ille suis gemitus, lachrymásque lagenis,
Constanter redamans, fidorum condit amantum.
Indè procul charos absentia dira jugales
Dissocians; tecum ille domi, peregrêque, fidelis
Usque comes lateri custósque hærebit amico.
Ipse tibi clypeus, tibi lux, tibi fluctibus acto
Anchora, consilium dubio. presóque levamen,
Servato sapiens placidâ moderamen in undâ.
Libera pax animi, domitrix curæque tumultúsque.
Ille tuam somno facili, lætâque quiete,
Mulcebit vigilem studia ad cœlestia mentem.
Et dudum admotam Cœlo, sedésque supernas
Spirantem, Cœli tandem statione locabit.
Elige nunc malísne excors imbelle subire
Servitium, flammísque jecur captivus aduri;

Exigere extorres animo Pacémque, Deúmque,
(Qui malè rivalis patiens, ſe ſponte repulſus
Subducit, longúmque jubet plorare puſillum,
Quicunque æternis fluxos veſanus amores
Ante habuit) tibimétque exſpes lachryméſque relinqui.
An ſub Rege Deo rerum gaudere tuíque
Imperio liber, regnóque & Rege pœriri;
Ante diem in Cœlum tolli ſublimibus alis,
Quas Amor aptavit lateri, geminæque ſorores,
Firma Fides, vitâque vigens Spes alma futurâ;
Subjectas pedibus longé ſpectare trementes
Idalii febres pueri; risúque puellæ,
Móxque ſupercilio, fluctus hinc indè volutos
Mancipiis Veneris, ſibimet diſcordibus intus;
Spémque metúmque inter vario trepidantibus æſtu:
Dum ſtabili in centro divi ſtas fixus Amoris,
Extra quod digreſſus Amor ſine fine vacillat;
Jámque Dei te Pace beans, dum fidus amator
Aſſimilare tuum divino tendis amorem.
Hoc etenim ſumme Chriſtus præſtabit amatus,
Ut bonus, ut felix, ut pulcher, ut omnia ſis,
Omnia poſſideas charo communia Chriſto.
Felix cui ſimili major, majórque gemello,
Cum magno Sponſo eſt amor unicus, una voluntas,
Unáque deſponſas compingens Gratia mentes.
Quos animos hæc dicta tibi, chariſſime Thyrſi,
Ingenerent, lachrymis quas gaudia dia pudori
Interfuſa cient, cœlum penetrantis ocelli,
Teſtaris; totóque Deus tibi vivit in ore.
Ipſe Deus, divo cujus ſuccenderis igne,
Perficiat quod cœpit opus, factúmque coronet.
Sed denſas nemorum denſans magis Heſperus umbras,
Nos abigit, nigrâque jubet decedere ſylvâ.

LIVIA.

LIVIA.

LÆLIUS.

OPertinaci functa luctu LIVIA,
Satis supérque; justa quæ solvis tuo
Orbata Crispo, semet irritans dolor
Injusta fecit. Planctus iste forsitan
Patrocinari possit immodicus sibi,
Si rupta vitæ fila quæstibus queant
Conglutinari vel renodari tuis;
Semélque clausæ Mortis ærateæ fores
Faciles recludi lessibus matrum sient.
Equidem recenter orbitate fauciam
Materno amori plusculos sivi dies
Lachrymis litare; nam nec in fluxu volunt
Sisti catharros Æsculapi filii.
Sed ut tumore paululùm maturuit
Commotus humor, pharmacis vellentibus
Humoris audent officinas aggredi.

LIVIA.

Severe LÆLI, si parentem debitum
Lugere luctum destitutam non sinis,
Aut esse Nati me parentem non sine,
Aut redde Natum. LÆL. Quémne ineluctabilis
Lethi sepulchro condidit necessitas?

LIVIA.

Aut tolle Nati sub cruentâ imagine,
Oculis oberrans horridum spectrum meis.

Qualis

Qualis profundo colla fossus vulnere,
Tumultuoso Martis ex discrimine
Domum relatus, & meo impositus thoro,
Generosum in isto spiritum effudit sinu.
Videor videre sanguinis coagulo
Fatale circum vulnus applicitam comam,
Nuper fluentem colla circum candida;
Labii decentis versa pura corallia
Lurore diro, decoloratas genæ
Rosas rubentes pallido Mortis gelu;
Oculos sub imâ fronte cedentes retro,
Heu lumina modò clara, nunc cæcas faces!
Meam hoc ubique phasma præsens territat
Retinétque mentem, méque dum torquet trahit;
Et omnis oculos alia forma incursitans,
Ipsúmque lumen aureum invitis adest.
At quando fessæ degravat oculos sopor
Lachrymis tumentes. Natus intus unica
Imago regnat, cæsus hunc premens sinum,
Visúsque (referens horreo) nuperrimè
Dum nocte curas solveret hominum quies,
Meas gravaret, vocis exili & cavo
Sono vocâsse, Mater O Mater veni.
Subitò inquieto territa exilui thoro,
Et venio, dixi, Nate; non longùm traham
Hanc misera vitam, sola & ægra, per tuum
Jam cæsa vulnus; Nate, quò præis sequor:
Tuo in sepulchro suppetit Matri locus,
Tumulata Matris jam tegente viscera.

Lætius.

Livia dolentes, non amantibus minùs,
Ipsi sibimet sponte fingunt somnia.
Ea nempe Nati cura sollicitat tui
Manes sepultos, ut genitricem vocet
Mutum cadaver: jugis has inanias
Et dormienti luctus & vigili creat.
At ille cuncta falce demetens senex,

Et

Et pertinaces demetit luctus Cronus ;
Lachrymáſque in urnam filii fuſas tui
Siccabit ætas : Spes remitte flebiles ;
Sola lachrymarum fonte fluxit perpeti
Lachrymoſa Biblis, proprium poëtico
Miraculum ævo. Nemo non facit ſibi
Finem dolendi qui dolet quantùm poteſt.
Virtutis eſto fructus, haud opus moræ,
Lachrymis dolorem quod fovere deſines.
Remedium iners eſt, ultimæque imbellis,
Deſinere flendi flere laſſitudine.
Temporis amica ratio contrahat moram,
Rationis alma contrahat Pietas opus.
Animos jacentes erige, & finem dies
Quem præſtitura eſt, Livia, hæc præſtet dies.
Properet diei craſtinæ prævertere
Hodierna munus. Quid moraris lucidam
Recipere mentem, diſſipatâ turpium
Mœroris atri nubium caligine ?
Hanc diſſipabit firmiter adhærens Deo
Amor Fidéſque, qui quod optimum ſuis
Sapiens Bonúſque certus eſt ſemper dare.
Hinc ut fugatis Noctis umbris Sol micat,
Animo redibit nubilo ſerenitas.
Humana ſubeat omnibus ſors dicta
Mortaliratis, quam tuo ex utero tuus
Cum ſanguine hauſit Natus, & vitæ intulit.
Cur ergò iniquis Mater ejulatibus
Quæ traxit à te Filium queretis pati ?

LIVIA.

Num traxit à me quod cruentis enſibus
In flore verno cæſus ante diem cadit ?

LÆLIUS.

Traxit quod ullo tempore aut caſu cadit.
Nam nec rubentem à matre, ceu Thetis ſuum,
Fugante vulnus tinxeras Natum lacu,

In illum adactus ut resultaret chalybs.
Sed fabulosi fabulosa non fuit
Damnata voti Mater; haud ulla iliis
Non vulnerandos Mater Heroas tulit.
At tu tremore parce vano Livia,
Fauces cruentas & repandi vulneris
Feralem hiatum mente versans lugubri.
Hoc schema, mortis omnium leniſſimæ
Est involucrum; fata præbent exitus
Violenta mites. Omnium Cæsar sibi
Lethi viarum deligit promptiſſimam.
Martis furentis qui rapaci turbine
Exterminatur semet haud sentit mori.
Tu fortè febres aut aquas intercutes,
Ægrum minutis enecantes ictibus,
Magis tremendas, horreas tamen minus.
At iste vitam morte pejorem trahens,
Moriensque semper, mortuus nunquam, tuo
Nato invidebit, cui licet semel mori.
At sive ferro, sive febre, ergastulo
Mortalitatis exeundi sit via,
Pio perinde est qui Deum exiens adit.
Seu migrat ore spiritus, seu vulnere,
Quâcunque portâ emissus ad Cœlum volat.
Ergò cruenta quando succurret tibi
Imago Nati, tu cruentum cogita
Christum, redemptos qui suo sistit Patri,
Sui cruoris purpuratos unguine.
Istâ decorus purpurâ (nam nec minùs
A te educatus Matre cum primis piâ
Sperare potuit, ipse cum primis pius)
Tradux Olympi, flexuosum post iter
Redux eódem; si quid indè cerneret
Quod in malorum tetricâ farragine
Turbatur infra, te querentem accerseret
Injuriarum, quæ beante gloriâ
Cœli coruscum, turbidis mortalium
Rebus solutum, perpetim desideras

Gemebundi

Gemebunda, Nati non amatrix, sed tui.
Dic tu (per ipsum te, Parens, Natum rogo)
Crispus quid isthinc exiens reliquerit
(Excipio Matrem filio merito sacram)
Desiderator cujus esse debeat,
Non despicator. LIVIA. Me quoque includas licet:
Anus vitæ fabulæ & larvæ sumus.
At census ingens, flos juventæ, regii
Zephyrus favoris, & bonæ formæ comes
Summos honores pollicens summum genus,
An sunt apud te nullius numeri & loci?
O mustulentæ subdolam spei fidem!
Tibi parabam, Nate, consortem thori,
Nulli secundam dote, formâ, stemmate;
Jam spe nepotes in meo eductos sinu
Deosculabar, avia jam, nunc nec parens.
Proh cassa vota! nunc nurûs, nunc liberûm
Spes heu perivit. LAL. Sed perivit & metus;
Nam nec jugalem dote vel natalibus
Ferocientem ducet infaustâ alite,
Famulus maritus, quæ sibi nimis placens
Aliis præoptet esse pulchra quàm viro;
Creétque curas quæ levare debeat.
Non pignora thori conjugalis pro suis
Aliena tollet; aut suum si maximè,
Informe & ore & mente degener genus,
Strumas parentis, atque carcinomata,
Quod sæpe patribus optimis usu venit.
At ille Crispo Zephyrus obludens tuo
Regalis auræ, quot fefellit aulicos?
Non perputantes dædalas aulæ vices,
Sorte intimorum vestientis extimos,
Et ima summis gestientis vertere,
Ex imperantum amore desultorio.
Noster secundo flamine usus occupat
Portum, procellas tristis Invidentiæ
Depræliatus; ille præmia flagiti,
Et mollicella sceleris irritamina,

Fugiendo

Fugiendo fortis, non egebit ampliùs
Piæ vigore mentis eluctarier:
Felix ademptus ultimùm certamini
Cum blandientis incitabulis mali,
Potuit placere cui nihil quàm quod Deo,
Pejúsque damno cui fuit semper nefas.
Sed finge nulli noxiæ superabilem,
Nullísque damnis; istiúsque munere
Vitæ fruentémque & valentem filium:
Túne involutam rebus humanis queas
Inanitatem turbidam revellere?
Ut fundus illum, gaza, conjux, liberi,
Faciant beatum? nempe quod majoribus
Nostris negârunt, nec dabunt minoribus.
An purioris quod metalli secula
Non præstiterunt, nostra præstent ferreis
Pejora secla? secla bello fervida,
Trahente veteres asseclas, famem, luem,
Miserósque luctus, & datum jus crimini.
Hìc post duelli pontici discrimina,
Passæ capillum matribus mistæ nurus,
Versant in alga filiorum & conjugum
Diffracta ratium tabulis cadavera,
Dubiósque vultus: unde confusis super
Notis peremptorum inter orbas flebilis
Viduáque lis est, planctibus communibus
Mox dirimenda, publicóque funere.
Quid dicam, ut urbem gentibus mirabilem
Et invidendam, maximum patriæ decus,
Actúque longo temporum structas opes,
Populator ignis, heu brevi quatriduo
Favillæ acervis propriæ tumulaverit?
O rerum egenos omnium, exutos lare,
Cives redactos ultimas ad incitas,
Pejore flammis adjuvantium manu;
Miserandum & ipsis hostibus spectaculum!
I nunc opésque delicatas cogita,
Tuo assezendas filio, ipsis filium,

Si

Si fata possis fletibus retexere.
Quin ille major avocet tuum dolor.
Lachrymarum inundet civicus torrens tuas.
Privúsque luctus sorbeatur publico.
Cùm provolutam sordidámque pulvere
Proculcet hostis impotens Ecclesiam,
Dorsóque pronæ Conjugis Christi impium
Infigat altè vomerem, & sulcos ferus
Ducat cruentos; pudeat in domestico
Lamenta casu perdere: huic reliquas decet
Te diritati, proh Deus! acerbissimæ,
Servare lachrymas, Livia, & pro filio
Lugere Matrem. Sed tamen quovis Deus
Exerceat nos summus Arbiter malo,
Sive populari, sive singulario,
Justum dolori quamlibet justo modum
Adhibere oportet, terminúmque figere.
Rebellionis alligat se crimine,
Deóque pugnat, immemor luctûs modi.
Quid enim? Deo sic collibet, secus tibi.
Dei sacra indè stat voluntas, hinc tua;
Utrùm sit æquum prævalere judica.

LIVIA.

At ille Cœli templa qui tonitru quatit,
Me diro ad imas adigat umbras fulmine,
Ejus voluntas ni mihi est potior mea.

LÆLIUS.

Nil dejerare est hîc opus, sed obsequi.
Tu, si Tonantis cedit arbitrio tuum,
Amátque quod vult velle, quid contrà gemis,
Et id quod ore prædicas, actu negas?
Fati trabales non refigi lessibus
Clavos, magistri te duo fidi docent,
Natura & Usus; te docent sequi Deum,
Meliúsque semper esse duci quàm trahi.
At celsiore discis in Christi schola,

Hos esse clavos à ter Optimo tibi
Rectore fixos, térque Sapientissimo;
Cui res tuæ sunt notiores quàm tibi,
Et chariores. Cedere huic est vincere.
Quòd te alligantes terreæ fibras spei
Clementer asprâ falce succîdit Deus,
Majoris utrùm amoris an sapientiæ
Sit æstimandum jure, Livia, ambigo.
Túque impotente vah nimis luctu probas
Secante falce quàm tibi sit adhuc opus;
Tua cùm profundis hæreat radicibus
Terræ tenaci mens amore pervico:
Quasi mentis hujus cœlitis beatitas
Glebæ lutosæ sic ab ubere pendeat,
Ut si quid indè quod placebat defuat,
Defecta liquidò & destituta concidat.
Superstitem ergò sis memor tuo Deum
Faventem adesse filio, & tibi adfore,
Decem tibi instar filiorum præstitem,
Mali levamen omnis, & fontem boni;
Si potes amorem filio ab demortuo
Vivum ad Parentem perpetémque vertere,
Amore amandum continenter unico,
Amore amantes qui suos unus beat.

LIVIA.

Læli, efficaci do manus scientiæ.
Adsum parata quò Deus vocat sequi,
Jam non trahenda. Verberet, cædat, secet;
Ego vel necantis osculor dominam manum.
Unum ille quod me colligabat vinculum
Mundo recidit; hoc benignè & providè,
Quod solum amoris illicem, mihi & Deo
Interjacentem, solus ipse diligi
Dignus removit; nè quid interverteret
Tributum amoris debitum soli sibi.
Caduce Munde, res tuas habe tibi.
Opes solutæ nivis instar effluunt.

Surgun

Surgunt honores ut ruant ex edito.
Fugit Juventas more prati, Sirius
Quod torret ardens, falx avara subsecat.
Terras relinquit spiritu exspirantium
Emissa Virtus; quæ putes firmissima
In Orbe fulcra (vah! perita usu loquor)
Subitò sub innitente corruunt manu.
Et quæ renident omnium dulcissimè
Suæ blandientis plena falsimoniæ.
Tibi ergò amorem, vota, spem, fiduciam,
Resigno soli, Christe, præsidium tuis
Non defetiscens, dentibúsve obnoxium
Edacis ævi. Summe fac rerum potens,
Ut ista Cœlis orta mens, Cœli Arbitro
Tibi obsecundet impigra, ut Cœlum solet,
Cœlique cives; hoc beati quòd tui
Legem volentes exequuntur Imperi,
Volántque quod vis, téque præter nil volunt
Curántve quidquam velle & expetíssere.

SERENA.

SERENA fausti nominis præstans fidem;
Veneri dicato Phosphoro serenior,
Venustiórque; fluxit à fonte ingenI
Hoc innocenter illecebrosum decus,
Bonæque menti debet hanc formam bonam,
Ceruſa faciem pura candidans tuam
Eſt candor animi, pacis & recti tenax;
Miniúmque quo te purpuras ſanctus pudor:
Sua nempe pulchra pulchtior palatia
Omnibus adornat excolítque gratiis
Pia ſceptra mentis obtinens intus Charis.
Talis beato læta temperamine
Adulta in ipſis mater incunabulis
Tellus vigebat, emicanti primulùm
Amata Soli, & ambienti blandulum
Proco renidens, qui novellæ nuperis
Sponſæ implicabat fruge nexis floribus
Comas virentes, ventilandas halitu
Infantis auræ, differente aromatum
A crine odores. Nympha non vultus tui
Planum atque fulgens perpolita marmora
Æquare poſſint; non tuæ mentis piam
Æquanimitatem cardo conſtantis Poli,
Antríſque clauſis Æoli placidum mare.
Tuâ, Serena, mente tranquillus minùs
Caſtis ab aris thureus ſacer vapor
Surſum in quieto ſe rotabat æthere;
Placidéque vòtis vectus in cœlum piis
Quâvis amorem ſuaviorem adoreâ
Deo offerebat. Jugis hoc adoles placens

Sum

Summi Tonantis thymiama naribus,
Cordis quieti, mitis & puri sacrâ
Fumans ab ara; dum nihil sani movet
Deóque quicquam simile & acceptum vehit
Animi impotentis æstuans satagentia,
Torquente spumas vorticosior freto.
Nec enim procellis hispido & rapido mari
Phœbea lampas, mente nec præfervidâ,
Vitiis lutosâ, turbulentâ affectibus,
Augusta imago Numinis reflectitur,
Tuæ, Serena, mentis in crystallino
Speculo refulgens, pace quod pacis Deus
Solidavit almâ, & æviterno lumine
Radiavit idem luminum magnus Parens.
Hic verus, hic est unicæ fons unicus
Serenitatis, quam nec humorum probè
Amussitatum præstat æquilibrium,
Nec ille mendax, arte multâ Stoicus
Nolente Naturâ elaboratus rigor;
Nec vota vincens floridæ sortis tenor:
Sed cor adunans pacis & lucis Deo,
Patríque mentem mentis assimilans amor.
Cùm se æstuoso volvat ævum turbine,
Quîcum paciſci pro quiete non magis
Quàm cum procellis stridulis ventro queas;
Nullâ nisi intus in recessu pectoris
Miseri fruiſci pace mortales queunt;
Intúsque nullâ, ni Deus veniæ dator,
Satórque recti, pacifer, salutifer,
Sedem sibi intus deligat, parvæ domûs
Regnator ingens, cordis affectus tenens
Sibi mancipatos servitute liberâ.
Qui possidere semet & domi aureum
Cupit serenum, subditos premat pedo
Rationis omnes impetus, ipsam Deo:
Penitúsque ab imis eruat radicibus,
Sibimet amicus, singula in numen Dei
Hostilitatis factiosa semina.

Faceſſat omnis dulce pellacis mali
Amara radix: diſſidens animus Deo,
Quietis expers diſſidebit & ſibi.
Non territatum Judice ſcelerum Deo,
Tortoris animi vapulantem verbere,
Serenat auro ſors & argento fluens,
Non Orpheorum dulce flexanimum melos,
Epuliſve menſæ dapſiles genialibus.
Belſatſar acer in Deum, inter regii
Fercula paratûs, pectore & genibus tremit:
At Paulus aſprâ crura tritus compede,
Flaminiſque in ipſis Tres-viri pſallunt Deo,
Cura metúque liberi, mox vinculis.
Sic efficaci melle amara condiunt
Amor Fidéſque: quippe veræ nucleus
Eſt fauſtitatis cum Deo concordia,
Robur ſalúſque mentis; hæc ubi deeſt,
O es, honores, vacua ſunt putamina.
Tamen iſta vulgus improba bulimia
Glubit, malámque contrahit glubens famem:
Podium caveáque vulgus æquè ſunt mihi,
Puſillæ homulli mentis in quovis gradu;
Cucurbitarum capita vento turgida,
Inaniarúmque unicè famelica,
Quibus ut cupido ſemet inſerſit ſemel,
Jejuna remanet; ſi bis, eſt jejunior;
Eſurit abundans, eſurit regurgitans,
Nec totus iſtam Mundus exſaturat famem;
Sive ipſa rerum peperit hanc inanitas,
Hominúmve cæcæ brutitas cupidinis,
Pretiſque rerum pervica ignoratio,
Per quam caduca præferunt perennibus,
Vaciva ſoldis, turbidæ libidinis
Ægrum titillum gaudio mentis bonæ.
Hanc porrò vitii famulus ejurat libens,
Nec cum Deo ipſo teſſeram confringere
Dubitat, coruſcæ quum ſitis lamnæ lacit,
Faméſque honorum molle ſuffodicat jecur

Lucri

Lucri ut dolosi pinguefactus polline
Plumâ superbus subvehatur pensili.
Sunt certè honores, sunt opes donum Dei,
Fontis bonorum quæ mali faciunt mala.
Ac mihi benignam perputanti copiam
Quâ vestit homines largus in suum genus
Ingens Creator, id quod antiquo Sopho,
Cujus cerebrum nardi onyx demulserat,
Succurrit; in rem gurgites abeant malam,
Qui bellam abusu sustinent rem perdere.
Malè Naso clamat, O miserum homines genus,
Innato habentes fœta gaudia crimine!
Malè feriatis hæc querela convenit,
Qui res amœnas utilésque non valent
Prehendere ansâ, quam bonus præbet dator;
Sed ad fruendum rebus apprimè bonis
Malam maligni comminiscuntur viam:
Cum postulatis justa naturalibus
Terenda cunctis regia pateat via,
Et obsequentes legibus sacris queant
Frui puellis innocenter ut rosis.
Probis, modestis, quod sat est cupientibus,
Natura ridet; simplicíque industriæ
Præmia beato læta porrigit sinu.
Nec jura potuit sic Dei intervertere
Dæmon Tyrannus, quin siet consultius
Sequi bonorum præmiatorem Deum,
Dantem satori criminum messem mali.
Recti sibimet conscius, concors Deo,
Et angue pejus omne formidans nefas,
Penetrare amore cœlites audet plagas.
Nec si quid hujus Orbis ad manum jacet
Dulce aut opimum, perperam tristis fugit;
Sed per vireta pergulásque obambulans
Sortis benignæ, quam bonis actis facit
Benigniorem, puriore sobrius
Gustu minores has fruendo percipit
Amœnitates, quàm nepotes ebrii.

Non poſſidetur opibus, illas poſſidet,
Ut commodatas, & relinquendas modó.
Meliora ſpectans, dominus uſurarius,
Adverſa miti mente lenit, nubilis
Serenitatem commodans rebus ſuam:
Nec gravia curâ degravat ſtultâ volens,
Quod querula vulgi factitat ſervilitas;
Sed trans periçla, trans ruinas publicæ
Cladis ſuáſque, firmat intrepidum gradum,
Placidus valénſque vindicis dextrâ Dei.
His tu, Serena, te beas virtutibus
Utriuſque ſortis, lacteo premens ſinu
Animos viriles; ſive rugis aſperat
Sors læva frontem, ſeu favens exporrigit;
Tutaris omen nominis conſtans tui,
Decora, recta, ſemper æqualis tibi.

VOTUM

VOTUM
PRO
SERENA.

SIc læta tui ſtamina fati
Filo velleris aurei
Neat renidens candida Fauſtitas.
Faſtóſque componens tuos,
Totum feſtis impleat album,
Nihil diebus linquat infauſtis loci.
Invium favens tibi,
Edenis hortum janitrix recludat,
Vitæ conſpicuum perpetis arbore;
Sed angue nullo noxium,
Difficilémve dolis.
Nec te ullus flammante machærâ
Territet ad ſacros tollentem brachia ramos,
Quin ora dio tota proluas ſucco
Fœti beatitate pomi,
Deliciis ſuperante vota.
Quo tu cunque gradus Nympha decens flectis amabiles,
Flores ingenuos ſub pedibus fundat humus tibi.
Farta fruge ſeges, luxurient gramine paſcua,
Fœturâ pecudes, arboreis fœtibus hortuli;
Spirent læta crocum blandiculi flabra Favonii.
Illucens oculi dulce jubar tui
Riſus & Charites creet,
Et ſi quid placido Vere ſerenius;
Damnoſi facies mali
Et nimbos abigens Sole potentius.

Te

Te tangente, roſaria
Carpendas tenerâ manu
Exarment ſtimulis roſas.
Umbellæque vicem ſerena nubes
Præſtò ſit tibi prodeambulanti,
A vultu niveo & ſinu tenello
Arcens flammiferi Leonis æſtum.
Quis ex beatis huc feret Inſulis
Flores odoros, perpetuos, quibus
Texam perannantes Serenæ
Ambroſio capiti corollas?
Ohe! jam ſatis eſt, Serena, luſus;
Tandem ſeria vota nuncupemus.
Ut Pax Juſtitiæ comes ſorori,
Mentis, Nympha, tuæ ſedens in arce
Te (quod diceris) aſſerat Serenam;
Et ſe téque ſimul, piæ gemellæ,
Amplexæ mediam, deoſculentur.
Mater quietis, ſit tuo Fides lecto
Sublime fulcrum, Spes Amórque cervical;
Quâviſque plumâ mollior
Sit culcitræ tibi vicem
Cœleſtis Innocentia.
Et quod quieti comparandæ maximè
Adminiculatur omnium,
Vinclo ligentur ſemper inſolubili
Dei voluntas & tua.
Nam nec optando faciemus unquam,
Dum frequens annona viget malorum,
Quin tuum lappâ tribuliſque quondam
Horreat arvum.
Candidis atras tenebras diebus
Veſper inducit; faciem ſereni
Lucidam triſti lachrymoſus Auſter
Contrahit imbre.
Sors trudit ſubitò ſevera mitem.
Iſtis motibus haud movetur unquam
Unita arbitrio Dei voluntas,

Cui

Cui rerum Dominum unicè ſequenti
Quod vult Optimus, optimum videtur.
His armis placidis necas, Serena,
Curas carnifices ſerenitatis;
Quâ nil aureolâ beatitate
Majus vel melius poteſt haberi.
Quis verò abſtineat quin voveat tibi
Pluſquam Pannonicis conditur horreis?
Cùm tu quotidie muneribus munera duplicans,
Multorum miſeram divitiis pauperiem leves;
Te ſpectantibus approbans
Divinæ docilem diſcipulam munificentiæ.
Ergò apprecamur ut tuæ pinguis vapor
Benignitatis, actibus amico bonis
Cœlo receptus, nube denſetur ſacrâ;
In téque largo preſſus imbre depluat,
Divi favoris divitíſque copiæ.
At tibi dante Deo téque accipiente parantur
Præmia digna magìs, quàm quicquid in aëre craſſo
Aut in limoſæ concreſcit viſcere Terræ.
Gloria cœleſti lucis radiata corona
Prævia cui roſeos ridens exporrigit ortus
Gratia, ceu Solis jungens Aurora jugales,
Te primis jubaris radiis naſcentis inaurat.
Ah nè te nimiùm properè ſibi Gloria totam
Aſſerat, & patriis jubeat conſidere regnis!
Nec te Cœligenam cœlo velit antè beare,
Quàm felice diu Terras virtute beâris!

Temporis

Temporis & vitæ flumen.

DEvectus amne lenium leniſſimo,
Hoc molle, purum, læve, pellucens vitrum
Violare tonſis remiges meos veto;
Nè minima planum ruga marmor aſperet,
Dum cœlum aquarum ſemet in ſpeculo videns,
Duplicéſque ripas, & ſalictorum comæ
Species in unda pronus oculis haurio.
Sed has natator iſte, mox lembus ſequens
Turbabit: en ut in ſinus longos aqua
Se pulſa cogit, arborúmque imagines
Surſum deorſum fluctus undatim quatit,
Paulâ reſident hæ quiete imagines;
Nocte exoleſcent. Sed manens, licèt fluens,
Ipſóque fluxu imago conſtans Temporis
Eſt fluvius ipſe; ſemper accedens ſibi,
Sempérque cedens, alius atque idem ſimul.
Unda fugatur undâ, tempus tempore,
Præſens futuro, terga præteriti premens
Oblivioſi, mox in ipſum defluens;
Mortalibúſque curta pars volubilis
Temporis ut amnis uſque præterlabitur,
Non poſſidetur: hanc ſibi ſapiens modò
Uſu capit dum præterit, non mancipat;
Cùm nec ſuperbi, quos tremens Orbis colit,
Rerum potentes, viribus regni queant
Unam ſibi horam mancipare temporis,
Aut ſiſtere arctâ lege momentum fluens.
Præſente fixo ſola Majeſtas Dei
Fruens, ab alto flumen ingens Temporis
Integrum ab ipſo fonte ſpectat ad oſtia,

Simul,

Simul, ſemel, perennis, aſpectu unico.
Quondamque longum fluere flumen deſinens,
Æternitatis gurgite abſorbebitur.
Nobis ut amnis vita dum durat fluit,
Hoc pejus amne, quod fluendo defluit;
Nobiſque ſimulac hora defluit fugax,
Peſſum it rapaci Mortis in voragine.
Id omne nobis mortuum eſt quod vixímus,
Et vita quam nunc vivimus mors eſt fluens;
Cujus fluento limitem figet modo
Extrema vitæ gutta, & arens alveus.
At ubi renatis Numen in fibris ſalit,
Vitæ huic edacis falce demeſſæ Croni
Superſit alia illæsa dente Temporis.
Ut magna aquæ vi Sequanæ longè obviàm
Procurrit æſtus, flumini miſcens mare,
Animis amanter ad Deum tendentibus
Perennitatis æſtus ingens influit,
Suum receptus intimis præcordiis
Miſcens ſaporem: mox piæ mentes ſuo,
Suóque flumen ſe reſignabunt mari.
Diſcrimine iſto, quòd in amaro gurgite
It flumen almam perditum dulcedinem,
Simúlque ſemet: at futura permanens,
Fluentum amarum perpeti in dulcedine
Pia mens reponit; & fluens quicquid ſuper
Fluxúmque fixa ſorbet ultimùm quies.

SPON.

Cant. 5. 2. # SPONSÆ
lapsus & pœnitentia.

ADblandientis in tenace lectulo
Sortis benignæ, languido in confinio
Vigiliæ inertis & soporis blanduli,
Meas ad aures semisomnes cœlitis
Vox dia Sponsi me vocantis appulit;
Sed sic veternum carnis & primus sopor
Oppessulârat mentis obsessas fores,
Ut extimorum sensuum ægrè lamberer,
Non pultitarit ostia allapsus sonus.
Geminata tandem vox sibi fecit viam
Obscuriorem. Chara, ait, soror cula,
Mea turturilla, melle amica dulcior,
Electro & auro purior, aperi mihi,
Mihi rorulentæ cui madent stillis comæ,
Crudæ pruinis hispido noctis gelu.
Ego tum soporis degravata fascino,
Nec magni Amantis, nec satis memor mei,
Vestem reposui, quisquis es (dixi) & lavi;
Thoro levandum fessa deposui latus:
Somnum & quietem suadet intempesta nox.
Hem! quámne nuper exui stolam induam,
Recénsque loto pulvere inquinem pedes?
Repulsus ille, mox levi pulsu ostium
Hiare cogens inserit divam manum,
Ad clara Lunæ conspicandam lumina;
Quam tandem apertis ut notavi palpebris,
Meúmque Sponsum & noxiam agnovi meam,
Pavitante subitò tota corde cohorrui;
Sponsíque se, mo qui soporatæ priùs

Animæ

Animæ innatarat, intus haud subsederat,
Nunc excitatam, turbidam, iratam sibi,
Penitus profundis usque & usque aculeis
Figit foditque. Conscium exhorrens thorum,
Plumas nefandi sceleris irritamina
Refugio saltu, fugere si crimen queam.
At prima properè cura surrectæ fuit
Aperire Sponso; verùm id ægrè præstitit
Tremens & ægra palpitantis dextera,
In rigida seræ & pessuli manubria
Sudore manans frigido, ut myrrham sua
Erudat arbos, gummibus niveis fluens.
Patente portâ patuit & damnum meæ
Immane noxæ, Sponsus heu discesserat;
Ab amica amicus (proh pudor, monstrum, nefas!)
Pulsus, fugatus, nunc dolente perperam,
Animisque semet lancinante moribus.
Adeò recurrens me misellam confodit
Exclusi amici blanda vox, procans, gemens,
Supplex, repulsa; sæva nunc vindex sui,
Penetránsque mentem nunc magis postquam silet.
Ah! non videndum prosequor luctu ejulans
Non audienda. Væ mihi! nimis audiit
Mea dicta Sponsus, ejus haud satis audii;
Ter digna ut ille, cui vocanti obsurdui,
Meis vicissim precibus aures obseret.
Sed clamitando & quæritando haud desinam
Quin à vidente commipus tandem audiar;
Manúsque, genibus advoluta, supplices,
Et corda amara fracta pœnitudine,
Oculósque fletu diffluentes offeram.
Mecum hæc volutans, urbis omnia compita
Aëra lacessens planctibus circumferor,
Laniata vestem, lacera diffusas comas,
Sponsúmque Sponsum voce claman; lugubri,
Atque ut malo uni prodit alterum comes,
Ecce in severo, urbicæ custodiæ
Vigiles oberrans & quiritans incidi,

Noctivaga,

Noctivaga, sola, injuriis obnoxia,
Hi mœstam & ægram barbari indignis modis
Habuêre, duris contudére fustibus,
Rapuêre plagis sauciæ velamina.
Geminate (dixi placida me pulsantibus)
Et probra & ictus confitenti noxiæ.
Aliena non me facta lædunt, sed mea.
Dolet gementi sub malorum pondere
Quam perpetravi offensa, non quam passa sum.
Spernenda cunctis quæ colendum spreverim,
Nullísque non pulsanda contumeliis.
At hæc procella non tuo sine Numine,
Divine Sponse, noxium hoc ferit caput.
Magnam verendi Judicis nosco manum,
Et verberantem dexteram deosculor;
Felix satis, Dilecte, si te invenero,
Vel sævientem: tu modò haud adeò velis
Sævire, Sponsæ Sponsus ut lateas tuæ,
Heu! surditatis ad tuam vocem reæ,
Sed pœnitenti, & semet in mentem novam
Repastinanti; quæ tibi intus audiens,
Attenta lychno semper accenso vigil
Te præstoletur, víxque carni indulgeat
Vigilem soporem; Tu modò, O qui me vides,
Da te videndum: discute nebulam, meæ
Iniquitatis sordidis vaporibus,
Tuæque fumo vindicis Rhamnusiæ
Mixtim coactam, tristiter Cœlo & mihi
Interjacentem; sed licèt densissimam
Facilem resolvi splendidis radiis tuæ
Benignitatis, Hanc mihi pararíam
Tui ad tremendam, Sponse, Justitiam Patris,
Flexis requiro genibus, heu supplex nocens;
Summi Parentis attamen Nata & Nurus,
Tua æviterno Sponsa matrimonio.
Cui nec ipsa noxa, nec noxam premens
Vindicta justa scripserint divortium,
Dum pectora ista, trita pœnitentia,

Amor fovet, Spes erigit, fulcit Fides;
Ejúsque amorem qui mihi iratus latet
Intus loquuntur, intus obsignant, in hoc
Ab amante Sponso seminata agellulo:
Et quin sua ipsi ametur agricolatio,
Suíque amoris proles, an Sponsa ambigat?
Nunc ergò Sponsæ, vah! malè meritæ lates
Dilecte, ut olim pervicis infantibus
Matres amant latere quum quæri volunt.
Vis, Sponse, quæri; quódque spes nostras fovet,
Vis inveniri: te Fides certò invenit
Etiam latentem, plùs prehendens quàm videns.
O Sponse stabilis quære Sponsam erraticam;
Et si inveniri vis, priùs nos inveni.
At mox reperta si magìs plectenda sum,
Hem plecte, Sponse, plecte, sed manu tuâ.
Aut si tuis me vis feriri ab hostibus,
Et hoc feremus. Sed per illa vulnera
Queis me piásti Sponse, te supplex rogo,
Procul facessat à tuis pomœriis
Immanis illud flagitI piaculum,
Ut sospitatis à suæ custodibus,
Christo sacratis, Sponsa Christi vapulet;
Quod vel ab Anubis vel Jovis cultoribus
Christi maritæ perpeti levius foret.
Tua membra amoris vinculo coeant, tui
Conglutinata sanguinis coagulo.
Ubicunque Verbi fulgor affulget tui,
Comitem sororem Veritas Pacem vehat.

N REDI-

Reditus ad Deum.

COeleſtis aura quam meo Deus luto
Infudit, altam quando originem tui
Repetes beata, quum ſuo lutum luto,
Cœlóque Cœli gnata reddetur ſuo?
Ad te, Creator Magne ſpirituum, mens
Avet reverti, vah nimis nimis diu
Peregrè vagatus, languidus contagio
Terreſtris auræ deprimentis cœlitem.
Piget morari donec alis ardua
Anima Angelorum ſubvehatur aureis,
Carne expedita, patrii ad Cœli plagam.
Agè mens volucris, experire quid queant
Ætherea proles, alæ Amoris & Spei.
Hæ nempe miſſæ cœlitus cœli viam
Callent, meróque Gratiæ inſtinctu duce
Benigna ad ora Magni & amplexus Patris
Siſtunt precantem; nec niſi his alis iter
Trans craſſa carnis nubila adnixi priùs
Emoliamur limen ad celſum Dei,
Suas ſolutis carne & enitentibus
Superas ad oras commodabunt Angeli.
Longa licèt illuc ſit via, eſt iter breve:
Fides id uno conficit ſuſpirio.
Ac ſicut uno Conditor mirus, ſui
Icona mentem condidit ſpiramine;
Spiramine uno redit ad Authorem ſui
Viva hæc imago: At hei mihi quàm ſegniter
Surſum movetur! quam deorſum ocyſſimè!
Moveor frequenter ſurſum & admoveor Deo;
Sed immorari vix queo admotus Deo:

Tum quòd facultas res amatas lucidè
Imaginandi, nil niſi id quod objacet
Vel objacere ſenſibus poteſt capit;
Anſáſque nullas ſenſibus præbet ſui,
Ingens amoris & beatitudinis
Objectum, at uni cognitus ſibi Deus.
Tum quòd gravata carne mens, & altero
Carni gemello preſſa noxæ pondere,
Ad ſanctitatis Spiritum celſiſſimæ
Vi magnâ Amoris vecta naturam ſupra,
Sine vi retrorſum ſponte feſſa volvitur.
O quem invenire nemo ſcit, ni ſit prius
Inventus à te, nemo ni tractus ſequi;
Debetur omnis ardor hic tui tibi,
Carnis veterno frontibus contrariis
Commiſſus, & ſe viribus tutans tuis.
Huic adde vires; fac licèt vinculi gravis
Et preſſa mole graviter mens emicet,
Vincente pondus concita lubentia,
Ad Conditorem te ſui, ad te ipſiſſimum;
Semélque juncta jugiter tibi hæreat.
Et ut adſit aptum ſchema cui mens hæreat
Veſtita carne, ſenſibúſque obnoxia;
Incîde grandem, Chriſte, clavo uno Crucis
Crucis characterem intimis præcordiis.
Temétque foſſum bis pedes bis brachia,
Lacerum cruentis ſentibus ſanctum caput,
Latus flagellis; os adorandum Angelis,
Deforme ſputis, ictibúſque luridum;
Te mille pro me traditum ludibriis,
Datúmque Morti principem vitæ; tui
Opus ſtupendum amoris, & ſtimulum mei.

Alere Matrem Christi.

PRo criminosa stirpe Adami, criminum
Ingens piamen Christus, horrendam Crucis
Pœnam subibat: proxima adstabat Cruci,
Verenda largis ora fletibus rigans
Augusta Mater; stabat eximius simul
Jesu Johannes, pectus illud mutuo
Amore fidum. Chara Jesus contuens
Capita, Parenti, Natus hic esto tuus,
Infit; Johanni, Mater hæc esto tua.
Mox æviterni fundit in sinum Patris
Magno salutis opere functum Spiritum.
Repentè gratam gratus hospes hospitam
Novam Parentem Natus excipit novus.
O præferendus omnibus scepteris honos!
O invidende juvenis omnibus piis,
Quotquot fruuntur aut fruentur munere
Vitalis auræ! Nam quis in cujus salit
Fibris amoris ulla flamma cœlitis,
Non se, Johannes, concupiverit tua
Beare sorte? quisve Jesum diligens
Monarcha, Crœsis Attalisve ditior,
Non præstinârit omnibus gazis tuam
Felicitatem? Sed licèt cœlum incolat
Beata regno Mater & Nato fruens,
Omnes benignam queis Deus penum instruit,
Beare semet sunt potes sacram Dei
Alendo Matrem; nemo votis irritis
Annumeret istud ad manum votum jacens.
Semel rogatus Christus ut Matrem foris
Stantem atque fratres conveniret, dextera

Mox

Mota audientes indicavit Discipulos;
Hæc Mater, inquit, hi mihi fratres cluent.
Meíque velle quisquis exequitur Patris,
Mihi est sororis fratris & matris loco.
Hanc ergò Christi cœlicam disquirere
Cognationem cura sit perpes piis.
Inopésque sanctos qui voluntatem Patris
Rerum potentis exequuntur seduli,
Quisquis piorum, pro suæ modo rei,
Recreare lætus ex suâ curat penu,
Is cum Johanne, Christe, alit Matrem tuam.

Deo Liberatori ſacrum.

Elapſus carcere Dunkerkano. Dec. 22. 1624.

HAnc ego carceribus juvenis dilapſus Iberis,
Signo ſenex lucem candidiſore notâ.
Hâc mihi natali ſemper potiore, perîcli
Effugiſque decet me meminiſſe mei.
Téque fidémque tuam celebrare ex hoſte receptum,
O Deus, O vitæ fónſque ſalúſque meæ.
Sic quondam Herodis periturus carcere Petrus
Auxilio ſoſpes prodiit Angelico.
Cuſtodum medius recubabat nocte duorum;
Mulcebat placidus lumina merſa ſopor.
Hanc requiem vinclíſque gravi, cædíque propinquo,
Pace Dei, & forti conciliante Fide.
Angelus ecce Dei demiſſus ſede, jacentem
Impulit, impulſi fugit ab ore ſopor.
Carceris horrificas pepulit lux diva tenebras;
Vincula ſponte ſacras exolüere manus.
Subligat extemplò pedibus ſandalia juſſus,
Componítque humeris pallia juſſa ſuis.
Vinctáque compedibus nuper, nunc libera crura
Miratur, ſanctum conſequitúrque ducem.
Quòd ſtat, quòd graditur, ſibimet non ipſe videnti
Attonitus credit, veráque ficta putat.
Intima decipitur cuſtodia, móxque ſecunda;
Cœlitus immiſſus Somnus utrámque premit.
Tertia reſtabat, ferróque rigentia clauſtra,
Ferratæ ſubitò diſſiluêre fores.
Paulùm progreſſi viſum fugis Angele, ſolus
Petre manes, urbi reddirus atque tibi.
Redditus agnoſcis quem jam tibi cernere non eſt,
Divinúmque ſatis cernere ducis opem.

Hanc

Hanc ego conſimili liber virtute celebro,
Hanc ego, cura Dei, laudo receptus opem.
Hæc mihi ſervato læta & ſpectabilis hæret;
Hæc ſeder ad noſtrum pervigil uſque latus.
O mihi nè ſenſum minuat longæva ſenectus,
Delapſi memorem cœlitus auxilii.
Idque quaterdenos quamvis præceſſerit annos,
Se præſens animo ſiſtat ubique meo.
Oceani ferme decumanis obrutus undis,
Navigii laceri triſte vehebar onus.
Ecce velut damnis vulgò ſe damna propagant,
Heſperiæ navis præda puſilla fui.
Illa ſuæ metuens, rapti malè conſcia, noxæ,
Pandebat celeri carbaſa tota Noto.
Quum ratis impulſu tetigit vada cæca ſonoro,
Clamore & ſtrepitu nautica tranſtra fremunt.
At Rector pelagi capto & captoribus æquus,
Arbiter ille bonis providus atque malis,
Aſtitit afflictis, glaucóque tridente levavit
Implicitam ſaxis explicuitque ratem.
Littora nota petit brevibus deducta vadoſis
Navis, & in tutâ ſe ſtatione locat.
Excipit appulſos ſtatio triſtiſſima captos
Carcer; at hanc unâ non niſi nocte tuli:
Nam me præpoſiti claſsíque reſque marinæ
Accitum hoſpitio detinuêre ſuo.
Quicquid erat quòd me ſecum voluêre morari,
Præſtruxit nobis ad meliora viam.
Quid referam multas ut me tibi jungere vellem
Præſes blanditias inſidioſe tuas?
Tot monstra animas invitamenta ſuperbas,
Et gravida auratis horrea polliciris?
Aſt ubi conſiliis aſper reſponſa moleſtis
Fronte (fatebor enim) tetriciore dedi,
Intonuêre minæ, micuerunt lumina flammâ,
Irata accendit fervidus ora rubor.
Addicor ſcelerum tormentorúmque magiſtris,
Devotis gentem diſcruciare piam.

Quódque rapi subitâ non me mandaverit irâ,
Mira fuit vigilis provida cura Dei.
Summoveor tantùm, summotus prætolor usque
Jussus in invisa tristia jussa domo.
Quid fugiam certus, non quà; nam fallere quærens
Hospitibus plenam militibúsque domum,
Ignotos pariter notósque, & singula mœstus
Circum me vigilum lumina pertimeo.
At quam nemo potest precibus præcludere, certam
Molior ad cœlum conficióque viam.
Indè meis rebus nova lux affulsit egenis,
Indè mihi in dirâ perditione salus.
Nam (quod post multos tandem rescivimus annos)
Præsidis assessor, vir pietate gravis,
Paulùm digressus, simili pietate fidelem
Solers pandocheum sevocat hospitii:
Hunc properè juvenem prædonibus eripe nostris,
Dixit, & effugium quâlibet arte juva.
Maturè egreditor; dum Curia nostra sedebit,
Egressum nemo qui remoretur erit.
Pandocheus pia jussa facit, nactúsque quietas
Et populo vacuas constitit ante fores:
Méque vocans, aliud similis mihi dixit agenti,
En agè rumpe moras, hàc via monstrat iter.
Custodes intus vino invitante relaxant
Ad lætum curas lassáque membra focum.
Ipse comes potu & vario sermone cavebo
Ut mora longa tuo tuta sit effugio.
I comitante Deo, nobísque faventibus opta
Ut velit assiduè divus adesse favor.
Dixit, & abcessit, nè grates nempe rependens
Eriperem properæ tempora parva fugæ.
Felices animæ, Cœli nunc sede receptæ,
Hæc accepta Deo vos benefacta beant.
Vos beat æternùm, memori sub Judice recti,
Reddita pro nostra magna salute Salus.
Atque utinam, Jesus Præses tibi faverit, hostem
Quem mihi non mala mens sed malesana dedit.

Egressus,

Egreſſus, portas inimicáque mœnia linquo,
Linquo etiam fugiens paucula chara mihi.
Parva quidem, ſed noſtra tamen; juvenilibus annis
Quæ fuerant ſtudiis evigilata meis.
Hæc mea cum variis combuſta fuére libellis,
Sic malè barbaricâ lege jubente loci.
At veſtes, & non multa & pretioſa ſupellex,
Commoda militibus præda fuêre malis.
Nil habui, nihil amiſi, divéſque ſalute
Mirificâ, mecum quæ mea cuncta fero.
O tutos! O magnificos! O ſorte beatos!
Queis cuſtos, queis res ceſſit opima Deus.
Reſpicio, lapidem progreſſus ab urbe ſecundum,
Tres procul admiſſis ponè ſequuntur equis.
Mecum ego, ſi retrahor ſævo fugitivus ab hoſte,
Quàm ſi manſiſſem ſors mihi pejor erit.
Sed cui crediderim novi; facilíſque ſalutem
Bis poterit, potuit qui mihi ferre ſemel.
Mox equites pediti ſpatio breviore propinquant:
Tres video Gallos, è quibus unus ait;
Servitiúmne fugis, popularis noſter, Iberum?
Nos tibi devotâ mente feremus opem.
Hujus equi firmas agilis conſcendito clunes,
Tertia nos patriis finibus hora dabit.
Quid facerem? bonitas hominis ſi ficta fuiſſet,
Tres fugere haud poteram vel ſuperare viros.
Clunibus inſilio, popularem amplexus amicum,
Agreſti geminus more creatus eques.
Hoc mihi ſubſidium ſoli, peditíque vagóque
Fecit in hoſtili cœlica cura ſolo.
Inviſam quòd eques terram poſt terga reliqui,
Et tetigi ſpatio Gallica rura brevi.
Dum vocat elapſum Præſes, ſeróque requirens,
Pandocheum probris exagitátque minis.
At tibi, Magne Parens, gratus ſoteria ſolvam,
Dum reget hos artus reddita vita mihi;
Vita adimenda mihi, vel pejor morte futurâ,
Ni tuus everſam reſtituiſſet amor.

Quid

Quid retribuam Domino?

Quâ laude gratæ mentis adorea,
Quâ voce, Vindex Optime Maxime,
Te vindicatus à tenebris
Carceris Hesperii celebrem!
Tu destitutum, tu malè perditum
Jam bis Creator restituis sibi.
Tu Mortis atris impeditum
Cassibus hoc caput expedîsti.
Circumstrepentum trans vigilum globos,
Me duxit ingenti incolumem manu,
Hic sospitator, qui rubentem
Isacidas penetrare pontum
Jussit; profundo sub pelago via
Calcanda sicco strata fuit pede,
Crystallinis utrinque muris
Instabiles rigurêre fluctus.
Facessite hostes; nos adamantinis
Hinc indè muris cura tegit vigil
Robúrque Terrarum patentem
Imperio moderantis Orbem.
Tutum potentis viribus Imperi
Non me obsidentum fregerit impetus,
Utcunque crabrones strepentes
Et numero superent & irâ.
Non fabulosus Centimanus Gigas,
Si verus esset, fulmineos vomens
Ignes, licèt surgens prementem
Excuteret furibundus Ætnam.

Nihil

Nihil timendum te didici duce,
O Liberator non vice simplici;
Per quem maris terræque rectâ
Contueor facie perîcla.
Per te Tyrannos, Albionis luem
Latè tremendam, spernere perstiti;
Strumámque perduellionis
Inbolumis pupugi imperantis.
Quot tela scuto fracta jacent tuo,
Quo protegebar tutus ab hostibus!
Haud immerenter perduellum
Invidiæ jaculis petitus,
Quos sæpe multo perfricui sale,
Fidelitatis crimine noxius,
Tyrannidis fœdæ rejectans
Ingenuo juga dira collo.
Fornace ut aurum clarior exii,
Ipsíque damnis ditior, horridum
Rodente cor, & viperinos
Invidiâ lacerante crines.
Quid exsolutus mille periculis,
Quid mille donis auctior offeram?
Nihil meum, nec memet ipsum
Esse scio, tuus usque totus.
Et istud ipsum quod tibi reddere
Amore memet percupio, tuum est.
At semet Authori rependens
Liber amor, tibi, Christe, donum est.
Sese ergò munus mens tibi fervida
Amore, fibris reddit ab intimis:
Minúsque quàm debet, sed omne
Quicquid habet sine fraude reddit.
Vah méne purum fraudis ut autumem!
Incogitanti quæ latet immeans,
Interlinens sinceriorum
Heu tacitò pia facta fuco.
At tu Creator, tu penetralia
Hujus revolvens excoque pectoris,

Ut

Ut ſcoriis purgata puræ
Thura queant adolere laudis.
Fac ut ſalutis multiplicis memor,
Dictíſque factíſque & fidibus lyræ,
Me totus in ſanctas reſolvam
Dum ſuperat mihi vita laudes.

Aula

Aula Somnium.

NOn nocte cæcâ ſi qua dormientium
Imago mentes ludit, id ſtatim putes
Bonum ominari vel malum portendere;
Sed indè meliùs corporis vel ingenI
Habitum notari: ex ſomniis certiſſimè
Quid regnet intus quiſdve peccet æſtimes.
Rarenter ipſe ſomniis exercitus,
Hominúmque vitâ qui fruuntur, maximè
Incurioſus, morbidi nec corporis,
Videre memini me ſopore languidum
Quæ me mihimet indicant imagines.
Illas honeſtas & metris idoneas
Hic exhibemus. At Salus ſic me beet,
Vigilantis iſta non fuêre ſomnia,
Genio placentes quod poëtæ factitant.
Matrona formæ præferens ſacrum decus,
Cultúque & oris dignitate regiam
Profeſſa ſortem, verba fecit hæc mihi.
Integritate vir verendâ prædite,
Fidéque canâ; Rex egóque Conjuges,
Titulum ſupremi júſque robúrque ImperI
Hujus rogamus ut tuæ facilis ſinas
Fidei relinqui; te ſacris inſignibus
Auguſti honoris indui, nos exui.
Mox Rex creatus, viribus regni potens,
Noſtro coronam ſponte tradas filio.
Morbi quid iſtas nos ad ambages agat
Diſſimulo prudens: ſcire cuique ſit ſatis
Si quid malè hæret, nutat, aut labat domi,
Tu modò quod in te jamdiu novi ſitum,

Probam

Probam hîc piámque sedulus præsta fidem:
Pro tam auspicata rebus in summis fidè,
Meritus merenti Regis haud deerit favor.
Regina, nil te fallis, inquam, quòd mihi
Tutò coronam posse concredi putas,
Quam nec vel unam vertici horulam meo
Velim insidere, tum meæ sortis memor,
Tum quot corona sit procellarum seges.
At cùm nefas sit se tuis subducere
Regina jussis, & fidem tibi meam
Non approbare flagitanti sit pudor,
Agè, experire jussa quid possint tua.
Repentè pompâ diffluente regiâ
Excipimur aulâ; cognitum me comiter
Proceres salutant, & jubente protinus
Rege & Senatu tunc sedente, Principis
Sese abdicantis sede sublimi locor.
Sacer tiaras crinibus, sacrâ manu,
Cinctus corona imponitur solemniter.
Gentile honestat dexteram sceptrum meam.
Humerósque circum, more prorsus regio,
Multo refulgens ardet auro purpura,
Radiante pendens hinc & indè syrmate.
At massa splendens aureo toreumate,
Gladiúsque robur Imperi ad pedes jacent:
Et hinc talenta magna, robur alterum;
Et indè mundi gaza larga gemmei.
In nostra jurant verba tres Regni Ordines,
Et quicquid ex re jusserim regni, fore
Fixum ratúmque jure summo sanciunt.
Ego nil moratus, regnet ergò filius
Hæréque Regis; Ipse jam jam liberæ
Obscuritati reddar, & reddar mihi.
Hæc prima nobis esto lex & ultima.
Dixi, atque dicto promptiùs Regi libens
Diadema, sceptrum, purpurámque tradidi,
Brevi catenis exsolutus aureis:
Et comprecatus faustitatem plurimam

Regi atque regno, ſede regni per gradus
Deſcendo placidus, nemo quod quivit priùs.
Regina ſed me prodeuntem retrahens,
Sénè hinc abire, dixit, immunem ſinam,
Integritate prædicandum nobili;
Cui regna minus eſt poſſidere quàm dare,
Satíſque nullo præmiandum munere?
Hoc præmiator haud velit fidei Deus.
Has ergò gemmas, hanc tibi gazam mœrens
Monimenta magnæ parva virtutis cape.
Regina, dixi, ſorte major regiâ,
Nullum putâris eſſe dignum præmio
Quod non bilinguis & nefarius fuit.
Nec alligavit fraude perjurum caput.
Non aucupetur dona ſolvens debitum:
Fidémque præſtans debitum ſe ſolvere
Nôrit. Fides eſt præmii ſatis ſibi.
Fidem Supremo pendimus non vendimus.
Talenta nervos Imperi, Regi; tuo
Baccata collo linquimus monilia.
Hæc irretorto contuemur lumine.
Vitæ parùm iſti ſufficit, morti minús.
Fuerímque abundè ſorte contentus meâ,
In æde Chriſti ſi mihi detur locus,
Laboriosi qui ſit otii ferax,
In quo quietus ſervulus famuler Deo,
Mundi tumultu liber, & turbâ procul.
Iſto repentè fugit in voto ſopor.
Fugit corona, gaza, ſceptrum, purpura,
Meréumque ſemper fugit aula ſomnium.

PSAL.

Psal. Xliii.

Judica me Deus.

Asſere jus Deus alme meum, juſtámque tuere
Sublimi ex ſolio Judex juſtiſſime, cauſam.
Me numero preſſum, techníſque hinc indè petitum,
Gentis inhumanæ crudelibus eripe malis.
O Deus, O ſolo cujus me robore tutor,
Cur miſerum reicis? fuſum quid ab hoſte maligno
Me pateris luctûs demerſum errare tenebris?
Luce tuâ tandem mea vera & juſta coruſcet
Cauſa; ſacrum ad montem tuáque ad ſacraria tutò
Me ſiſtant tua lux tua pura & vivida Virtus.
Tunc alacer ſanctis præſens altaribus, ad te,
Te ſolidam mihi lætitiam nitárque ferárque.
Te Deus, O ſanctum, ſemper mihi Maxime, numen,
Carminibus fidibúſque lyræ celebrabo canoris.
Cur proſtrata jaces? cur te maleſana dolore
Dejicis, interno mens exagitata tumultu?
Expecta Dominum; parat ille ingentia laudis
Argumenta tibi, tempeſtivóque reſolvet
Auxilio in lætas, hæc ora, hæc pectora, laudes.
Hæc bona præſtabit noſtræ Deus ille ſalutis.

Lucidum

Lucidum intervallum.

ECce jaces, qui me, furiis lymphatus Averni,
Triginta insanis vexâsti litibus annos;
Et stratus furis usque minis, & torva tueris.
Sic aper adverso totum qui pectore telum
Excepit, rabido prensat venabula morsu;
Et rictu spumante fremit, spirátque minaces
Nequicquam extremis frendens grunnitibus iras.
Ah quoties victor nequicquam extrema putavi
Quæ vix ducebas suspiria mœsta supinus!
Mox reddente malum nunquam moriente vigorem
Nequitiâ, veteris renovâsti prælia rixæ.
Rex Superûm, qui me per iniqui tormina ponti,
Syrtésque, scopulósque, & difficiles anfractus,
Jactatum exerces, pérque ipsa pericula servas,
Aut semel horrentes verbo compesce procellas,
Aut tua jactato longísque erroribus acto
Gratia sufficiat: da mentis lene serenum,
Quo facilem Jesus in tempestate quietem
Carpsit, & ipsa mihi faciat jactatio somnum.
Euge, seni parvum restat maris æquor arandum,
Nec longè jam portus abest, securus, amicus,
Pace Dei, Pacisque Deo sine fine beatus.

In Deo tutus.

SIc Pastor teneram fidelis agnam,
In qua jam lupus improbum cruentus
Dentem fixerat, eripit voranti,
Ereptam incolumem pedo tuetur;
Læto in gramine floridísque ripis
Curâ languidulam fovet benignâ;
Ut me Maximus Optimus retraxit,
Quem rictu rabido impetens læna
Jam spe gluberat, & siticulosas
Ardens sanguinis irrigare fauces,
Erecta exitio meo imminebat.
Sed tor Maximus ille Sospitator
Me frendentis ab ore sospitavit.
Nunc fessi ínque sua reclinis umbra
Membra aurâ reficit levi, mihi quam
Motis divus Amor creavit alis.
Hæc per tempora ludibunda, pérque
Diffusas fluitans comas, amorem
Nostris molliter auribus susurrat.
Pastor provide, quem pium Parentem
Appellem potiùs, tuam paternam
Curam multiplici sálute doctus;
Quòd non Tænariis premor tenebris,
Quòd vivo & valeo, hoste quòd vidente
Et ringente, malis reſurgo major,
Totum id Sancte tuo Parens amori
Acceptum refero; tuúsque totus
A te pendeo, te sequor vocantem,
Ad te te approperóque gestióque,
Tanquam escæ cupiens avis tenella
Nitendo tremulúmque pipilando,

Tenſis

Tensis faucibus appetit parentem,
Implumésque inhians coruscat alas.
Tu pastum tepidis fove sub alis,
Qui me sponte tibi resigno totum.
Sic dum me tibi debitum resigno,
Magnam conficio mihi salutem.

In Deo fortis.

SPectari dignum est, horroréque gratius ipso
Quum subrigentem luridas setas aprum,
Scintillantem oculis & stricto dente minacem,
Venator acer excipit venabulo;
Pérque ferum pectus penetrátque viscera, totum
Ad ima ductum transigit ferrum ilia.
Sed melius læto spectamen præbet Olympo,
Oculísque Regis Cœlitum placens magis,
Vir quem diva Fides clypeo, quem Spiritus ense,
Desque totum Christus armis instruit;
Queis Luxum atq; Metum, & scelerum frendentia monstra,
Et belluinas conficit cupidines.
His mactus trepidos animoso pectore casus,
Nullâ remissus excipit formidine.
Ferrea vincla, cruces, insultantísque Tyranni
Patiendo fortis despicit minacias.
At cùm larva mali plusquam mala vera minetur,
Et multa vulgus perperam vocet mala,
Diripit intrepidus larvæ pallentis hiatum,
Et à minaci noxium disterminat.
Hìc mihi succurrunt immani mole Gigantes,
Quos in theatri ludicris vidi puer;
Æquales furno rictus, oculíque patellis,
Nigrans equinis horridus crinis jubis;

Penula fulgebat mentito ſcottea ferro,
Nodoſa grandis clava dextram armaverat ;
Monſtra horrenda, pavórque meis æqualibus ingens,
Donec gerone cum ſuo cecidit Giges,
Et tunicâ craſſæ fraudes patuére reductâ ;
Pravè retortâ crate vix hærens ſibi
Heros vimineus, veteri cui ficta caniſtro
Animoſa ſtabant ante caſum pectora.
Hinc pueris largus pulsâ formidine riſus,
Ipsâque riſus largior formidine.
Non quicquid caperat frontem, vel torva t
Intus tuenti incuſſerit formidinem.
Sæpe magis metuunt homines ridenda tim
Solùm intuentes id quod exterius paret.
Sed ſapiens fortíſque Deo, quíque intima
Momenta doctus lance pendit ſedulâ,
Deteriora videt blando ridentia vultu,
Quàm quæ ſeverâ fronte rugas contrahur
Iſta fugant, à ſéque monent ut ab hoſte c
At illa riſu ſæpe nos ipſo necant.
Naturâ fruitur, nec pravâ interpolat arte
Quæ læta fauſto contigerunt Numine.
Non ea, non alios, non ſemet denique,
Excors opima ſuſtinet corrumpere.
Ditat opes virtute ſuas, titulíſque deco
Decoriorem ſe facit modeſtiâ.
At ſi illum ſors parva gradus detrudit ad
Deo in Parente regium invenit genu
Lætus in adverſis animus, majórque pe
Serenitatem impertit adverſis ſuam.
Inſtructum vegetúmque fide non urget e
Cùm poſſidentem cuncta poſſideat D

In Deo quies.

CUrarum vacuus, thoro recumbens,
Dum se circumagit silente passu
Noctis concubiæ nigella biga,
Quâ pascam meditatione mentem,
Huic postquam cerebro quies amica
Blandi debita præstitit soporis ?
Ad te principium meæ quietis
Ipsa hæc alma quies vocat quietum.
Te Somnus riguus jubente, lecto
Se nostro insinuat, benigniorum
Alludente cohorte somniorum.
Tu curas vigili fugas edaces.
Tu sedas animi vagos tumultus.
Amplexúque tui fovens Amoris
In curæ gremio tuæ reclinem,
Præstas incolumem & piè serenum.
Sic Matris teneris puellus ulnis,
Ceu cunis, agitatione molli,
Lento murmure, tinnulóque cantu,
Appressus sinui piæ parentis,
Ad somni requiem silentiúmque
Blandè pellicitur, sopore donec
Vagitum superante conticescat.
O te magna animæ quies fidelis,
Sub cujus lateo quietus alâ,
Non pigram requiem otiúmque votis
Ignavum rogo, sed negotiosum.
Quæ me, Christe, tuis sacrayit aris,
Præstanti officium tuas ad aras
Donec Gratia strénuam quiesem.

Infractam assiduo labore mentem,
Et nulli superabilem dolori.
Hoc quæcunque petent latus sagittæ,
Ad scutum fidei obtegens petitum
Fractæ dissiliant: gubernet intus
Divinâ ratione passionem
Pax Reginæ, Dei verenda proles,
Virtutum genitrix, medela mentis;
Pax sancta anticipans fide beata
Puræ gaudia Cœlitum quietis.

Deus amoris in ira memor.

JAm nostra dudum fulminis æmulis
Circumsonârunt littora machinis,
Et alluens largo cruore
Mars rigidus rubefecit æquor.
Hæc extra, at intus dira furit lues,
Utrinque planctus, dum sine funere
Funesta festinanter indunt
Corpora vel pelago vel undæ.
At ista lætis tristia temperat,
Amoris, irarum in medio, memor,
Ecclesiæ magnus Redemptor,
Qui tenebras hilarare luce
Assuevit; illo libera præstite
Pax nostra tutò rura perambulat,
Nec fervidi circum duelli
Pellitur horrifico tumultu.
Frumenta securi agricolæ secant,
Carros vehentes copia degravat.
Lætísque cum clamore fausto
Invehitur bona messis horreis.

Ratò

Rarò oppidorum mœnia transilit
Acerba clauſo peſtis in aĕre:
Noſtróſque per colles apertos
(Sic voluit dator ille vitæ)
Maligna nondum toxica miſcuit
Auræ ſalubri: ducimus hanc Deus
Grati, & pati quidvis parati,
Ultima quòd meritis rependi
Rerum jubebis Maximus Arbiter:
Virtute tu nos tu modò robora,
Seu peſtis atræ ſive belli
Nos fera diluvies inundet.
Ter ſancte, peccati ingenitam luem
Ab his potenter mentibus elue;
Et quidquid hoſtiles focillat
In te animos penitus revelle.
Sic alma nos Pax, ſic bona Fauſtitas
Brevi reviſat; ſic lacerantia
Se membra Chriſti ingens amoris
Spiritus ipſe Deus rejungat.

Orate pro pace Jeruſalem.

PAcis Chriſte dator ſacræ,
En Eccleſia quam tuo
Emptam ſanguine Conjugem
Patri concilias Nurum,
Illa, inquam, malè feriata Pacem,
A te, Sponſe, tuæ neci propinquo
Poſtremis tabulis ſibi relictam
Reicit, projicit, immemor Datoris,
Projectámque pede inſolente calcat.
Militat adverſis ſibimet contraria membris;
Urgetur pede pes, dextra eſt commiſſa ſiniſtræ,
Alteráque alterius maleſano robore nervos
Exſecat, in propriam properans habiliſque ruinam.
Sic miſerè pereant per mutua vulnera fratres
Anguis Tartarei rabioſis dentibus orti.
At bona Pax, rectóque Salus ſoror intima Vero,
Unanimes Sanctos Cœli pia pignora ſervent.
Mundi procellis à ſuis cunabulis
Vexata fuit Eccleſia:
Propriis ſed ipſa Eccleſia ſimultatibus.
Facta eſt procelloſum mare.
Exurge Chriſte; voce perculſi tuâ
Hi conſileſcant turbines.
Aut fac ab iſto turbine ad portum ſacrum
Ut Morte ſoſpes enatem.

Summum

Summum nec metuas diem nec optes.

EN Mors repôſto nunc brevi manubrio
Falcis, ſibimet deligit longiſſimæ
Rigidæque lignum perticæ; hanc ferro induit,
Latóſque ducit hinc & indè ſæviens
Gyros, ut una in civitate, uno die,
Bis mille cives convenáſque demetat
Utriuſque ſexûs. Proh Deus! quantæ ſtrues
Juvenum ſenúmque, cámque matribus ſuis
Infantium lac & luem ſugentium
Ab ubere uno! O vaſtitas, peſtis, fames,
Urbis miſellæ, deſtitutæ, languidæ,
Cui vix ſuorum quartus hæret incolæ,
Dum turba vitæ proſpicit fugâ ſuæ;
Manénſque numerus multitudinem ſuam
Solâ fatetur funerum frequentiâ!
At fortè tutâ conſulant fugâ ſibi,
Si deſerentes fœra peſte mœnia
Se fugere poſſent; mente lævi, qui luem
Sinu fovéntes in fugâ circumferunt,
Et rura damnis urbis infelicitant.
Non ulla ab iſtis ſtatio tuta, non mihi
Ruris colono, qui ſalubrem collium
Incola remotæ villulæ duco aërem.
Sed hîc & ipſo Peſtis in regno, Salus
Si quos tuendos tradidit Deus ſibi,
Pennis focillat ſoſpitatrix candidis,
Alíſque motis noxii circum aëris
Diffiat vapores: hæc jubente te, Deus,

A matris alvo ſoſpes hoc caput fovet.
At ſi lues nos, te jubente, demetat,
Magis fovebit, te jubente, nos Salus.
Ruptíſque carnis improbæ repagulis
Quiete noſtram, ſanctitate, gloriâ,
Animam beabit. Sic premente ſpe metum,
Libérque vitæ tædio, & Mortis metu,
Intueor æquo ſortem utramque lumine,
Nihílque præter Optimum timeo Patrem,
Qui nil quod uſu non ſit optimum dabit.
Omnes amore qui Deum colimus pio,
Deum timere nos decet, non à Deo.

Psal. Xcviii.

Cantate Domino Canticum.

1. Ella novum cantate melos Dominóque Deóque,
Robore pollentis dextræ validíque lacerti
Magna per attonitas latè miracula Terras
Dideri, ſemétque ſuâ virtute tueri.
Quem quocunque feros greſſum fert acer in hoſtes,
Et tremor & rapidis anteit Victoria pennis.
3. Hoc oritur victore Salus, Aſtræáque gentes,
Surſum aſpectantes Cœlo demiſſa reviſit.
3. Nempe ſui memorem populi, fidíque tenacem
Fœderis Iſacidæ noſcunt; magnamque Salutem
Gentibus auditam ſub utroque jacentibus axe,
Ipſæ amplectentur, ſub eodem vindice tutæ.
4. Ergò ſalutifero ſoteria debita Regi
Solvat ovans Tellus; laudum lætiſſima plauſu
Tota ſonet, reſonet repetitis plauſibus Echo.
5. Nunc lyra, nunc citharæ, citharæque animantia nervos
Carmina, cum nablii modulis, vocíſque maritæ,
Et Domini laudes, & gaudia noſtra celebrent.
6. Parte aliâ ſacra cornicines præconia pangant,
Et magnum vacuo tuba grandis in aëre nomen
Buccinet, & feſtis reboet clangoribus æther.
7. Æquora littoribus fremitu colliſa ſonoro,
Coram Rege Deo plauſus imitentur ovantum.
Quáſque ſinu refluo complectitur Amphitrite
Unanimes agitent ſollemnia gaudia gentes.

8. Lætitia

8. Lætitiâ saliat nitidis illisa lapillis
Garrula rivorum modulato murmure lympha,
Lætitiâ jactent nemerosa cacumina montes.
9. Quippe Pater rerum flammis radiata benignis
Ora ferens, hilarans propiori numine Terras,
Regnaturus adest; qui Maximus Arbiter Orbem
Liberet æternùm noxis & fraude malignâ;
Æternùm populos justus clemensque gubernet.

Terræ

Terræ Gemitus.

Immenſo ſcelerum ſub pondere Terra fatiſcens,
Perpetuam vitii ſe dedignata miniſtram,
Jamdudum ignitis prodit ſingultibus iras.
Indè vomit flammas diris mugitibus Ætna,
Indè cavernoſum quatiens penetrale Veſævus
Ardentem eructat patulo cratere favillam.
At tandem cumulis injuſti ponderis impar,
Dum ſcelus aggeſtum ſceleri magis uſque magíſque
Degravat oppreſſam, pulsátque cacumine Cœlum,
Succutiit latus impatiens; quo ſaxea motu
Vincula luxavit, montanáque cingula Mundi;
Antráque cæca fremens vaſto patefecit hiatu:
Ipſa ſibi tanquam properaret feſſa cavare,
Effœtæque ſimul Naturæ immane ſepulchrum.
Protinus os tetrícum ſacris venerabile rugis,
Turrigeróque caput redimitum tempora peplo,
Magna anus exeruit; connixáque pectore toto
Exſtare, & fœdum magno molimine pondus
Excutere, hoc ipſo gravior molimine, prona
Concidit, in proprias penitus revoluta cavernas.
Indè ſonore cavo, quantùm ſub pondere penè
Faucibus eliſis licuit ſe ſolvere queſtu,
Ejulat. O per quem nullis ſuffulta columnis
Undique librato ſapienter pondere firmor,
Cur me dira premant alienæ pondera noxæ?
Pondera quæ veteris violant libramina formæ,
Portendúntque Chaos. Vah! cur mihi ſtulta ruinam
Extimui? peream, nihilíque voragine cæcâ
Demergar; ſic exonerer vel morte levata,
Atque hoc fraudis onus, me geſtatrice remota,

Præceps

Præceps Tartarei volvatur ad ima barathri.
Hoc melius, quàm me ſervis ſervire protervis;
Suſtentare meâ pravos virtute rebelles,
Sanguine juſtorum, latronum crimine tingi.
Scilicet idcirco dorſum proſcindor aratris,
Et laceror raſtris durſíque ligonibus artus,
Hoſtibus ut, Rex Summe, tuis frugéſque merúmque,
Lurconúmque gulæ pretioſa obſonia fundam,
Vulneribus multis confoſſa, malóque coacta.
A famulis hæc, Chriſte, tuis & amantibus æqui
Multum erat iſta pati, queis nempe innata veterni
Hæret adhuc labes. Notum eſt tibi, Conditor Ingens,
Quàm cupidè, quàm fronte hilari, quanto ubere fruges
Uncis vomeribus non ſollicitata ferebam.
Quando recens proles, concórſque Parentis imago,
Sanctus Homo, diuum totus ſpirabat amorem.
Tunc ego, tunc gravidas pomis & flore nitentes,
Veris an Autumni ambiguas, locuplete colebam
Luxurie ſylvas: croceſque per aëra venti,
Vernáque temperies æſtivâ fruge benigna,
Mulcebant Hominem; cui nullæ pectora curæ
Pulſabant, niſi ſola Deo pia cura placendi,
Naturæque tuo facies ridebat amico.
At Stygii ſimulac inimica ad ſigna Draconis
Transfuga defecit, Mater Natura novercam
Induit, & parcâ mensa eſt ſua munera dextrâ.
Omnis ager tribulis, & inhorruit æthra procellis.
Nuda novo ſontis tremuerunt frigore membra.
Mox pecudum exuvias pelles indutus, inópſque,
Vix ſilicum venis ignem, vix pulvere victum
Extudit, & multo triſtis ſudore paravit.
Sed mala progenies nimis ad ſua commoda prompta,
Ad tua juſſa ſocors, quæ vult mihi mille per artes
Nolenti extorquet: nec ſat purat illa virentes
Expilare ſinus almâ ubertate beatos;
Eruit ex imis noſtræ penetralibus alvi,
Divitiis inhians, vicinum Manibus aurum.
Indè ſores Erebi marrâ curvóque bidente

Pulſat,

Pulſat, & exciri faciles pulſator avarus
Evocat Eumenidas: quæ mox non ſegniter auro
Mancipiſſque graves auri cultoribus hærent.
Nec Furiæ unius generis trepidos mortales
Exercent, miſeros dubium magis annè merentes.
Quot variæ Eumenidum facies! ſeu fœda libido,
Seu lucri ſitis, aut ardor maleſanus honorum
Tranſverſos rapit; aut eos exitiabilis iræ
Diva Superſtitio, quæ crudum cædis amorem
Religione tegens Furiarum maxima ſævit.
Quin Regum (tremebunda loquor) ſacra colla verendorum
Abſcindit, ſceleríque jubet jus eſſe nefando.
Quid memorem, quod dira tibi Blaſphemia bellum
Inferat? hiſtoriam faciens quæ fabula nuper,
Aggreſſos Cœlo horriferos certare Gigantes,
Atque ipſum ſolio Regem detrudere Cœli.
O longùm patiens Superûm Rex Maxime, quando
In linguas Cœlo obſtreperas, inimicáque corda,
Ignea fulmineo torquebis tela lacerto?
Ecce tuos ignes alius nunc provocat ignis,
Ignes queis nova ſit conflagratura Gomorrha,
Flagrans indomito fœdæ pruriginis æſtu.
O ſi urbes ipſúmque ſolum furioſa libido
Perdidit, accendens diris ultricibus iras;
Cur ego comprenſis non ardeo tota caminis,
Tota hominum vitiis olidum nunc facta lupanar,
Tota venenoſæ fraudis litíſque theatrum?
Eſt flammarum ingens intra mea viſcera fomes,
Jamdudum expectans felicem térque quatérque
Illam, Chriſte, diem, quum vectus nube coruſcâ
Elicies illinc ſupremos Arbiter ignes,
Queis tota hæc latè Mundi compago ſoluta
Abſiliat, mihimétque rogum mea flamma miniſtret.
His ego, ceu magnâ penitus fornace recocta,
Purior electro eveniam, pretioſior auro,
Terricolis Sanctis & Chriſto Rege ſuperba.
Terra Parens hîc conticuit, diductáque labra
Compreſſit, virides adducens chaſmatis oras.

Sponſa

Sponſa mittit ad Sponſum.

COnſciæ noſtri Comites amoris,
Filiæ ſanctæ Solymæ, puellæ;
Si pias veſtræ ſtudioſa tangit
Cura ſororis,
Ite, divinum properate Sponſum,
Puriùs Phœbi radiis micantem
Quærere, à cujus meus uſque pendet
Spiritus aurâ.
Dicite invento recubare Sponſam,
Fœdere æterno ſibi conjugatam,
Sauciam divi jaculis fidele
Pectus amoris.
Ardeo totis penitus medullis;
Ardeo puris liquefacta flammis:
Hic tamen charâ eſt mihi ſanitate
Charior ardor.
Nec mihi optârim ſupereſſe vitam,
Ni meus juxta ſupereſſet ardor,
Qui meam ſolus facit eſſe dignam
Vivere vitam.
Cúmque non Sponſi liceat potiri
Libero amplexu niſi morte carnis,
Quamdiu amplexus caro pigra noſtros
Viva moraris?
Quando ad amplexus nimiùm morantes,
Peſſulo carnis faciet reducto,
Mutuum flagrans aditum flagranti
Sponſus amicæ?
O veni tandem mea vita Chriſte,
Afferens vitæ melioris auram,

Morte

Morte quam felix adeam, tuâque
Morte paracam.
Dicite hæc Sponſo, comites amoris,
Dente livoris vacuæ Sorores.
Unus is plures bene ducit, at nos
Nubimus uni.

Sponſus mittit ad Sponſam.

Filiæ celſæ Solymæ puellæ,
Nuntiæ Sponſæ, comitéſque amoris,
Hæc laboranti mea juſſa veſtræ
Ferte ſorori.
Nè frui pleno mea Sponſa Sponſi
Speret amplexu, niſi nuptialis
Solverit ritus nocuæ gravatam
Compede carnis.
Nec morâ languens alios amantes,
Quos Caro & Mundus maleſuadus offert,
Immemor noſtri, & propriæ ſalutis
Deligat amens.
Es mihi abſenti (pia Sponſa) præſens,
Qui tuos ſancti gemitus amoris
Audio, quamvis mihi nullus inter-
nuntius adſit.
Quòd meo ferves & amore plangis,
Auribus Sponſi melos eſt canorum,
Qui tuum multo ſibi præſtinavit
Sanguine amorem.
Teſtis ille imis ruber ex medullis
Membra perfundens labefacta ſudor,
Horrido flores viridantis horti
Rore cruentans.

Teſtis hic dextræ cruor, hic ſiniſtræ,
Vulnus hoc duplex pedis utriuſque,
Hoc caput ſpinis lacerum, hoc ferâ cor
Cuſpide fixum.
Hos amans pro te ſubii labores,
Hos tuæ noxæ proprios dolores,
Fortis inviƈtam patiente amore
Vincere Mortem.
Te, nigræ viƈtor necis, ex avaris
Faucibus raptam ſitientis Orci,
Et mihi aſſertam, ſtatui ad perennis
Limina vitæ.
Pro meis in te meritis id unum
Flagito, ut Sponſum redames amantem,
Et mei ſerves tibi profutura
Juſſa Parentis.
Perfer, obdura, breve poſt laboris
Tempus amplexu fruiiura noſtro.
Jam Salus ridet tibi, jam propinquis
Advolat alis.
Dicite hæc veſtræ comites ſororî,
Sauciæ noſtri jaculis amoris;
Quæque ei mando referenda, vobis
Dicta putate.
Sedulæ accenſis vigilate lychnis.
Hæc mea eſt demum ſapiénſque virgo,
Cui Fides ardet pia, Charitatis
Pinguis olivo.

Beatus

Beatus Domine quem tibi admoves.

NOn pœnitenda corda pœnitentiâ,
Divóque amore saucius,
Genibus, Redemptor, pronus advolvor tuis,
Lachrymis tuos rigans pedes.
At tu benignâ provolutum dexterâ
Clementer inclinis levas.
Molli levatum lenis amplexu foves,
Ut prodigum pius pater.
O quanta amoris intus efficax creat
Amplexus iste spicula!
Beatitatis permeans acerrimo
Sensu recessus pectoris,
Oleóque læto dulce fibras proluens,
Mulcet medullas intimas.
O suavitates neutiquam sermonibus
Edisserendas! O sacras
Opimitates gaudio effertissimas,
Diam inchoante gloriam!
Ingens Redemptor, qui reo & terrâ gravi
Cœlum benignus admoves,
Si sic sapit jam extra suum Cœlum locum,
Quid in suo sapiet loco?

Surſum corda.

TE cordis penetralibus,
Te deſiderio non ſatiabili
Dilectum ſitio Deus,
O lux, O animæ magna Salus meæ!
Te noctu vigil ambio;
Te cùm lenta ſopor lumina degravat
In ſomnis video, meum
Sidus, trans vitreum carnis operculum
Attollens roſeum jubar.
O quàm dulce nites mitis Homo-Deus!
Quondam victima perditis,
Mundi turpe nefas cæde pians tuâ:
At nunc principe Gloriâ
Nativis radias clarus honoribus,
Lucis torrida vividæ
Aſpectu placido ſpicula temperans.
O quando mea fictili
Mens, Lethi officio, carcere libera,
Ad te principium ſui
Lætam remigio ſe volucri feret;
Ardens plena frui Deo,
Nec ſedare Dei perpetuam ſitim!

Velle

Velle quod vult Deus.

NEmpe ad ſiniſtram ſors cadit, quam pendulus
Ad dexteram expectaveras.
At quis ſerenum, non procellis hiſpidum,
Cœlum tibi promittere
Te Marce juſſit? non potens rerum Deus,
Sed impotens amor tui,
Menti ſupremæ providæ rerum arbitræ
Subjicere neſcius ſuam.
Atqui Tonantis Filius compar Patri,
Non ut voluntati ſuæ
Feſtus litaret, ſed voluntati Patris,
Se carne juſſus induit;
Cœlicíſque, Summi traditi Patris manu,
Fæces amaras ebibens,
Non noſtra, dixit, quicquid imperas, Pater,
Fiat voluntas, ſed tua.
Magni ſequamur Imperatoris piam
Lætámque fortitudinem.
Ignavus ille miles eſt, nec miles eſt,
Qui ſequitur ejulans Ducem.
Cedet oneranti fortis & ſapiens Deo,
Puſillus obluctabitur;
Ferétque vinctus more jumenti jugum,
Quod ferre ſponte noluit.
Quod vult poteſt, cui velle quod poteſt ſat eſt,
Idémque velle quod Deus.

Mentis Serenum.

NOn ſi procellis horrificis frequens
Nubes opacas agglomerat Notus,
Imbréſque portendit nocivos
Frons tetrici caperata Cœli,
Noſtro ſerenum pectore diffugit.
Forſan procellas qui vehit, avehet
Turbo hic; & inverſos aquarum
In pelagus vacuabit utres.
Quodcunque damni craſtina parturit,
Tua quieti, Chriſte, faventia
Carpemus hanc lucem: gravamen
Cuique ſuum ſatis eſt diei.
Non miſſa nimbis tela tonantibus
Nolente quemquam contigerint Deo;
Volente, nil certam Tonantis
Profuerit fugitare dextram.
Frontem ſerenet vel caperet Polus;
Plutus crumenæ defluat, affluat:
Te ſortis Authorem utriuſque
His alacres fidibus canemus.

Pacis cœleſtis Anticipatio.

SEdens in axe cœlico cryſtallinæ
Serenitatis, dia quam colit Fides,
Quo non vapores terrei cupidinum
Metuúmve ſcandunt; cerno ſub pedibus procul
Ex his coactas improbis vaporibus
Nubes creari, quæ ſubinde turbines
Irarum & atræ bilis eructant globos;
Et obtenebrant mentium puram diem
Curarum opacâ triſtium caligine.
Parùm putârim Terram ab alto cernere,
Stellas ab æquo; ni ſupervehi queam
Rotatione perpeti cœlum inquies,
Et à ſupremo petere Cœlo mobili
Immobile illud, Maximi rerum Arbitri,
Qui cuncta nutu motor immotus movet,
Sedem verendam, diva quam beat Quies.
Quò tendis anime? Téne dum carnis ſcaphâ
Vectus laboras in procelloſo mari,
Penetrare Cœlos, & fores celſiſſimæ
Serenitatis pulſitare fas putas?
Quidni? minùs nil ſuadet illa Cœlitum
Divæ Quietis quæ pias mentes manet
Cœlis vel ipſis firmior promiſſio.
Hanc nos quietem dulce feſtinâ Fide
Præoccupamus: Jam Fides celſum caput
Inſeruit Aſtris; Jam coruſco vertice
Tranſcendit Aſtra: Jam bonæ Pacis Dei
Penetrale pandit clave Amoris aureâ.

Senectuti gratulatur.

SAlve mœsta aliis, nobis jucunda senectus,
Recta, serena, vigens, quam non nodosa podagra,
Non mala nephritis, non tussis anhela fatigat.
Non numero superans quot volvit fluctas arenas,
Quot nivium Boreas brumali turbine floccos,
Morborum omne genus; vel primæ sæpe senectæ
Triste satellitium: Nos absque satellite tuti,
Expertes morbi & medici, te, Christe salutis
Hujus & æternæ authorem veneramur ovantes.
Nil confido tamen seniive hyemisve sereno.
Nec mihi multa super promittunt tempora vitæ
Hæ capitis mentisque nives, hæc serior ætas,
Quæ modò bis senis mihi lustris addidit unum. Anno 1665.
Annorum fluvius se Mortis ad ostia raptat;
Arctáque dilapsi volvendis tempora linquunt.
Interea fruimur præsentibus atque paratis,
Securi & placidi. Mihi non sinceriùs unquam
Delicias faciles ridens Natura probavit,
Mulcemus lento vitæ incommoda risu.
Hic animus certis nescit spontanea damnis
Addere, cum nummis animi perdendo quietem.
Id quod adest amat eximiè; nec dissita longè
Quærit, ut in paucos spes longas inchoet annos.
Et breve cùm sit iter non multa viatica condit.
Ipsa ætas, comitem semet cui Gratia fecit,
Frigore brumali juvènes compescuit æstus.
Præcipites venti ponunt, animisque tumultus.
Pax intus, per quam si quid trepidaverit extra,
Aut componitur, aut minimum terrere jubetur.

Súmque

Súntque ſui brumæ fructus, eſt meſſis & herba ;
Et ſi non flores, ſunt florum imitamina quædam.
Concretis ut quum nivibus pomaria candent,
Longa pruinoſis ubi pendet ſtiria ramis,
Aut plana aut gemmis pulchrè glomerata coruſcis,
Quas Sol exoriens radio vibrante colorat,
Et mox ſapphiro modo tranſmutare pyropo
Gaudet, & in praſinos variare adamanta ſmaragdos.
Hanc veris ſpeciem nonnunquam incana ſenecta
Exhibet, & ſtudiis floret ludíſque juventæ.
Hoc habet eximium Chriſto devota ſenectus,
Quod pretium longi tangit finémque laboris ;
Et gravis excoctis divinæ frugis ariſtis
Meſſorem ſponte invitat : mox plena, volénſque,
Demetitur, matura Deo ; magnóque Salutis
Longùm expectato lætiſſima conditur horreo.

Pietas florida.

NOn auro tripodas graves
Aris, Chriſte, damus tuis ;
Sed quos noſter ager tuo
Felix imbre tulit, tua
Hujus ſpargimus ingeni
Circum altaria flores.
Ruris divitias Deo
Sacrabat Pietas vetus,
Fruges floribus implicans,
Et nectens apio roſas ;
Nos paucas dedimus tuo
Fruges, Chriſte, ſacrario :
Paucos nunc cape flores.
At paucos dare ſit pudor ;
Cùm ſancti pateant mihi

Parnaſſi

Parnaſſi viridaria.
Si quæ dulce rubet roſa,
Aut caltha aureolum micat,
Sertis implicitas meis
Has ritè offerimus, Deus,
Flexo ſuppliciter genu,
Aris impoſitas tuis.
Quicunque ingenuè nitent
Debentur tibi flores.
Quæ me biga volucrium
Curru ſubvehat arduo?
Ales mirificus petam
Hermonis rigui juga,
Sioníſque nemus ſacrum.
Per lucos Charitum vagus,
Si quis collis Arabicis
Lætus fragrat odoribus,
Quotquot Græcia floribus
Aut halat Latium ferax,
Viſam ſedulus, ut ſacros,
Aut dignos fieri ſacros
Decerpam tibi flores.
Hìc multam pueri roſam,
Hìc plenis calathis crocum,
Hìc duplex date lilium,
Hoc aurum, id ſuperans nives;
Narciſſum, colocaſia,
Flectentémque calendulam
Ad Solis radios caput;
Et qui verſicoloribus
Diſtincti areolis patent,
Et qui murice luteum
Virgati variant decus;
Flores ſpargite ſeduli.
Aras cingite floribus.
Templi floribus area
Latè ſtrata renideat.
Plùs Templum decoret roſas

Quàm

Quàm Templum decorent roſæ.
Nulli vividiùs rubent,
Nulli candidiùs micant,
Quàm qui corde pio, Deus,
Sacrantur tibi flores.

Anima pia Thronus Dei.

REclude portas claviger cordis mei
Amor; en Olympi celſa qui Templa incolit,
Humiléſque mentes poſcit hîc additum ſibi,
Intra Hoſpes Ingens, Hoſpite indignam Deo,
Dignam futuram ſi modò incolas domum:
Intra, & domum fac Regiam ex gurguſtio,
Ex carne Cœlum, Numinis ſacram ſedem.
Quia mentis; una eſt quæ Creatoris ſui
Capax, Olympi quem nec ambitus capit,
Nec ſi ſe Olympus millies excederet.
At quæ capax eſt, tu tenacem fac tui;
Semélque lectam perpetim domum incole,
Hoſpes verende: fac eam propriam tibi,
Tibique ſoli ſerviat Domino domus.
Hic, Chriſte, regnum poſſide, hîc ſolium loca;
Minimúmque ſi quid fortè turbellæ cient
Laſcivientes improbíque ſervuli,
Subitò reſidat voce ſuppreſſum tuâ,
Omnéſque juſſi conſileſcant turbines.
Ut quando ventis impari vectus ſcaphâ,
Jámque decumanis peſſum eunte fluctibus,
Uno procellam diſpulifti verbulo,
Tuóque Ponti concidit nutu fragor.
Animam gubernet Pax tua & ſervet meam,
Divini amoris & ſacræ lucis ferax;

Pax dia, magnum cordis & mentis bonum.
Intelligendo quam poteſt nemo aſſequi,
Sed ſentiendo: Tu mihi ſenſus dato
Queis bis creata mens tuam Pacem ſapit,
Charites ſorores, Charitatem, Spem, Fidem,
Queis mens novata, carnis (heu! vivos nimis)
Senſus retundat, turbulentæ, fervidæ,
Pacis Parenti diſſidentis & ſibi.
Ausímne carne vix ſubactâ idem loqui
Quod ille ſummam raptus ad ſedem Dei,
Adhuc gravatus carnis, ut nos compede?
Euge anime, fidens fare quod Paulus priùs,
Fidus magiſter; Vivo, non ego tamen
Sed Chriſtus in me, & iſta in iſto corpore
Quam vivo vitam, eſt vita Chriſti, non mea.
Unúmque ſpiro ſpiritum Chriſti fidem.
Victore lethi amore qui me diligit,
Pro méque ſemet & mihi volens dedit.

Pia tranquillitas Dei ſpeculum.

CErnitis ut mediis ardere videtur in undis
Cœlorum ſpeculo Titan geminatus in udo,
Et rutilis ipſas radiis incendere lymphas.
Scilicet aſtrictis venti Moderator habenis
Nè planam ſpirans faciem corruget aquarum,
Indulſit Soli hæc agitabilis otia Ponti,
Ut ſe per requiem placidâ miretur in undâ.
Hæc requies fontes, hæc illibata colebat
Æquora, ab Authoris pura atque recentia dextra;
Quando rudi flatus primos pulmone premebant
Infantes Zephyri, pudibundáque flabra timebant
Virginis undæ faciem libare verendam.

Tunc

Tunc ſacra mens hominis placidâ ſedatior undâ,
Lethiferæ fraudis minimâ non aſpera rugâ,
Perſpicua, illimis, lucíſque ſuíque Parentem
Tota reflectebat ; planóque in marmore mentis
Vivida divinâ facie radiabat imago ;
Non metuum Borea pravæque cupidinis Auſtro
Diſtorta, inſtabilis, ſceleris non turbida cœno,
Quod mox triſte nefas Stygiis invexit ab antris,
Et malus abraſit carnis de fæcibus æſtus,
Quâ ſanctam effigiem vah ! turpiter obſcuravit.
O Sol Juſtitiæ, lucis fons magne perennis,
Intima quí radiis mentis penetralia luſtras ;
Eſt luſtrare parùm, tu noſtram illuſtris amánſque
Illuſtra, ſpeculúmque tuâ tibi luce repurga.
Hinc turpans ſpeculum fæx carnis craſſa faceſſat,
Aut (quod mortali fas eſt ſperare) refidat.
Flamina nata domi, motíque aliunde tumultus,
Abſtineant animi faciem caperare ſerenam,
Nec coram te auſint mutire aut hiſcere venti ;
Ut claro & placido conſpectus in æquore vultus
Divinus, proprio mirandus lumine, totam
Impleat, & magnâ dilatet imagine mentem.
Spirituum Genitor, regnum tua ſemper apud me
Obtineat ſplendens & notâ major imago.

Quantum

Quantum eſt quod neſcimus.

QUoties oculis numeroſa intentus in aſtra,
Quæ gemmis phrygiant nigræ velamina noctis,
Spectator tacitus miranti hæc mente revolvo;
Quot rutilos video ſtellatæ fornicis ignes,
Et quot non video! cùm nec centeſima Cœli
Flammarum ſit tota oculis pars obvia noſtris,
En ut pauca vagas exercent ſidera ſpiras;
Cætera compoſito labuntur fixa recurſu,
Dimenſi inter ſe ſpatii ſervantia legem:
Iſta ſibi innatam radiis vibrantia vivis,
Illa repercuſſam lentè ſpargentia lucem:
Hinc cadit, aut ſimilis procurrit ſtella cadenti,
Fulgureo longè proſcindens æthera tractu;
Illinc triſte rubet, diráque ærugine furvam
Protendit barbam minitans extrema Cometes.
Sed minùs iſta moror pauca adventitia Cœli
Phænomena, ingenuis totus defixus in aſtris.
Illa coæva ſuis fixa & conſtantia Cœlis
Sidera demiror, certâ quæ lege pererrant
Orbes quæque ſuos; curſúque imitante quietem,
Et placidè celeri ſe circumagentia gyro.
Nec levibus moles magna illa rotatibus obſtat,
Cùm Cœli in ſpatio tot grandia corpora, noſtræ
Immodicùm quantùm globulum ſuperantia Terræ,
Sint apices parvi. Proh vaſti immanis Olympi
Ambitus, ingenio non menſurabilis ulli!
Limitibus tamen ille ſuis clauſúſque locatúſque,
Authore immenſo ſpatiis minor infinitis.
Infinite Author Cœli, Terræque, meique,
Cujus opus ſummum ſummâ virtute peractum

Attonitis

Attonitis aspecto oculis, ignarus & hærens;
Aut luce, aut veniâ, dubiæ succurrito menti.
Quos tua, quos oro Sapientia finxit in usus,
Fornicibúsque suis tot grandia corpora fixit?
An tantùm ut nobis (hui! quantùm immane remota)
Sint punctorum instar, quæ scintillantia longè
Subluſtres faciant tremulo fulgore tenebras;
Aut mixtim albescant cano latitantia tractu?
An totidem Mundos totidem dispertiit Astris?
Anne iisdem, an variis diversos legibus Orbes
Communis rerum latè Natura gubernat?
Quæ sacra discretos connectit copula Mundos?
An veluti noſtram Tellurem influxus Olympi
Afficit, influxum sentit Telluris Olympus?
Quò te cæca rapis Ratio? cur eminus audax,
Cominus imbellis Cœlos & sidera tentas,
Vinceris à Terrâ? nam nec tibi braſſica nota est,
Non ovum, non vermiculus, non graminis herba;
Cùm tibi nec causas liceat cognoscere rerum
Quas pedibus calcas, quid longè diſſita quæris?
Nil te scire scias hoc tandem discito, certo
Certiùs; & dum te nôsse & demittere discis,
Tu sine consuetos stellas servare meatus,
Si vacat, & Cœlis per te licet esse quietis.
Summe sator Mundi, tu solus Maximus idem
Cognitor es rerum qui Conditor: extima vasis
Lambimus indocti doctíque, sed intima soli
Sant perspecta tibi: jus hoc tibi cedimus uni,
Omne sciens Author; parvum est quod novimus omne.
Sed tua caligans ad grandia facta, veterni
Carnis, & heu! mentis mihi conscius ignorantis,
Te Mundi atque Tui magnum celebrabo scientem,
Admiránsque tibi dabit Ignorantia laudem.

Specta-

Spectacula Cœli.

Aulica nocturnæ properas miracula pompæ
Visere, multifidis pendentia lumina lychnis,
Unde repercutiunt regali in veste pyropi
Purpuream ardentes lucem, viridémque smaragdi,
Albam adamas, fulvúmque jubar vibratur ab auro:
Illustres baccis Veneres, flammantis ocelli
Artifices radiis ornantes vincere baccas;
Utque leves celebrent choreas cum flore juventæ
Patritiæ, pariter gemmis auróque micante.
His oculos, si sic tibi stat sententia, Marce,
His oculos tu pasce tuos, quæ forsitan ægrum
Te luxu faciant, victúmque cupidine cæcâ.
Hîc mecum, tu Crispe, vide meliora daturum
Quæ nulli noceant festum spectamina Cœlum.
Hîc mecum premito vivo sedilia musco
Mollia, quæ prudens nobis natura paravit,
Unde suas liceat spectare sedentibus altas,
Ingenuas, nullis imitandas artibus artes.
Cernis ut extremo sudans in limite Titan,
Gnaviter emenso spatio lætúsque, triumphánsque,
Auricomâ sibimet fingit de nube coronam,
Claram, mirificam, quæ puris vivida flammis
Accendit varios Cœlo ridente colores,
Grande oris decus Occiduis, oculósque videntum
Præstringens minùs atque minùs, dum fuscus Horizon
Oscula Titanis rubicundo blanda pudore
Excipit & reddit, circumfusúsque cubantem
Hesperiâ sensim tegit & lodice focillat.
Ac velut Heroum post funus amabile nomen
Latiùs ac meliùs modò quàm viventibus ipsis

Spargitur,

Spargitur, atque novos à funere ducit amores,
Mersa recens madido lampas Phœbea cubili,
Indè sibi plures longè latéque propagat,
Quàm spectanda priùs, gazæ cælestis honores.
Hui! qualis subitò scutulati gloria Cœli!
Quæ sibi suspendit splendentia canopea
Decumbens Titan! queis hinc atque indè superbit
Cortinis, longo phrygiatis ordine ludens
Tesserulis! ut dulce micant ostrum inter & auram
Molliter ambiguæ! sive ostrum fimbriat auro,
Sive has igniculis interpungentibus ostrum
Vermiculat; dubio rubefiunt murice flammæ.
Parte aliâ spiris lux versicoloribus ambit
Cæruleo prasinam superatam emblemate nubem.
Segniùs extremos tractus defessa colorat;
Languidiúsque rubens hyacintho definit ostrum.
Rex Mundi croceos Ortus roseósque diei
Occasus hilarans, hilarant te facta verenda,
Artificem tibimet nunquam satìs admirandum.
Delicias facis ipse tibi Deus, arte magistrâ
Illudens liquidis ditánsque coloribus æthram.
Nos fruimur lætо tecum spectamine læti:
Et tua justa tui jubet admiratio nostram.

Dædala dum stupeo picti discrimina Cœli,
Intextásque auro miror in axe rosas;
His sensim inducit nigrum Nox invida velum,
Nec manet in pulchro qui fuit ore color.
Quando aliud Cœlum nullâ violabile nocte,
Quando alios oculos tu mihi Christe dabis,
Qui vegeti ciliis inconniventibus ausint
Cernere te æternum vivificúmque jubar?
His nec in Occasu nec Sol variabit in Ortu,
Ipse latens, dubio lilia mista croco.
Sed te uno æternùm lætis, unóque beatis,
Unica ridebit lux color ipse Dei.

Quis me liberabit ?

UT alligatos accipiter pedes
Ligno tenaci compede loreâ
Alternat, iratóque roſtro
Vincla petit, volucréſque pandit
Alas, acutis luminibus micans,
Captivitatis non patiens ſuæ ;
Surſúmque nitens, ſpe videtur
Jam vitreas Superare nubes ;
Niſúſque tendens impete concito
Lorum retentans, ter quater emicat,
Et ter quater loro graviſque
Pondere retrahitur deorſum ;
Sic impediti compede carneâ,
Terræque iniquis ponderibus graves,
Sufflamen injectum dolemus
Ætheriæ Pietatis alis.
Certè ſolutus mollibus imperIs,
Mundíque nexu & mancipio procul,
Commercium vitámque Cœli
Et ſitio & ſapio perennem.
At dum perennis proles homo Patris
Terra inquilinus degit in hoſpita,
Et mole carnis degravatur
Pars ſuperi pia mens Olympi,
Sæpe evagamur vah ! nimis à Deo.
Pars illa noſtrî terrea non ſinit
Se ferre ſincero volatu
Partem aliam melioris auræ
Ad limen ingens & patrios lares,
Sedem verendam lucis, & Optimi

Lucis

Lucis Parentis, se suósque
Luce sui jubaris beantis.
Quin ipsa lucis filia mens pia,
Mundi tenebris mersa nigrantibus,
Scotomate interdum laborat,
Aut gelido premitur sopore.
Mentisque fluxi corporis incolæ
Connata labes hæret originis,
Contage peccantum novata,
Ceu scabiem vitia affricantum.
Hinc intricatæ litis iniquitas,
Mendaciis illinc spes patrimonii,
Curæque mordaces revinctam
Multiplici quatiunt tumultu.
His præpeditæ retibus improbis,
Siticulosæ sanctæ animæ Dei,
Ad sacra vix, ac nè quidem vix,
Difficilem trepidante pennâ
Emoliuntur languidulæ viam,
Circumvolutæ nube caput cavâ;
Tardéque surgentes, retrorsum
Mox celeres gravitate cedunt.
Tandem impeditas O Deus expedi;
Abrumpe nodos, porrice pondera,
Exterge nubes, & soporis
Discute lethiferi veternum.
Hæc nostra divi murice sanguinis
Decora, carnis compede libera,
Nullóque Terræ devoluta
Pondere, vel maculata sorde,
Trans astra pennâ se rapidâ ferat:
Tantóque sursum promptiùs evolet,
Quò longiùs desideravit
Vincta sacros Pietas volatus.

Χείσμα.

MUndi Chriſte ſalus, à Regum Rege create
Rex & Sacerdos permanens Eccleſiæ,
Mirifico lætum divæ virtutis olivo
Inuncte Princeps cœlitus ſacrum caput:
Non quòd inops olim fueris virtutis honoræ
Es efficaci delibutus unguine,
Nate Deo, Deus ipſe, Patris ſolidiſſima Virtus,
Nec inopiæ nec additamenti capax.
At modò factus homo recipis quod didere poſſis,
Totum ſupernæ Gratiæ myrothecium.
Iſta tuo, mi Rex, effuſa in vertice, circum
Fragrante latè membra rore proluit;
Ut vernus placidè demiſſus collibus imber
Subjecta ſicci rura lætificat ſoli.
O ſemper tua membra, ſacra quæ protegit umbra
Infuſus humeris crinis unguentis fluens,
Exhilaret ſpirans olei cœleſtis odorem
A capite ſancto depluens in nos Charis!
Exhilaréntque caput laudíſque & amoris odore,
Tibi tuopte membra ſuavia balſamo!

Sacer

Sacer Anteros.

Huc ſpecta Juvenis pie,
In Mundi mediis caſibus ambulans;
Si patrantis ocelluli
Te flexu mala merx flexerit improbo,
Confeſtim tua primulo
Veſanæ Veneris vulnere ſaucia
Mens, Chriſtum objiciat ſuis
Singultantem oculis in Cruce pendulum;
Harum ſcilicet anguium
Præſens antidotum morſibus igneis.
Cùm flammas rapiat tuum
Arridens placitis pectus amoribus,
Ut vivacia ſulphura
Vel tactu minimo percipiunt faces;
Huc obvertere te decet
Affectûs aciem perpetuam tui,
Unde ad te ſuperans amor
Tot noxas fluvio perpete defluit.
Hic lethum ſuperans amor
Affixit placidum magnus amor tui
Cœlorum Dominum Cruci,
Et pro te immeritam dedidit ad necem.
Te fuſus moveat cruor,
Et contracta tua vulnera noxia;
Fletus ſanguine decolor,
Lictorum lacerum verberibus latus,
Confixíque natantia
Divina in lachrymis lumina fervidis,
Ut Sol nube ſub uvida.
At trans has lachrymas te bonus aſpicit,
Mittens languidulis tibi
Hæc mandata oculis, Méne tot horrida

Cædis tormina perpeti,
Hunc pro demeritis interitum tuis,
Ut pœnæ vacuus metu
Hoc purgatam animam ſanguine polluas?
Hoc quiſquam pretio meus
In me turpe nefas cogitet aggredi?
Pro quo cæſus amo mori,
Illine ullus amor ſit potior meo?

Surſum niti.

Quid me ſæviter implicas
Importune tuis Munde negotiis?
Quorum ſi quid amœnius
Adblanditur, eò nequius heu! mihi
Memet ſurripit & Deo.
Quare, O tota Patri debita mens Deo,
Hoc te gnaviùs addecet
Multâ vi tibimet ſternere tranſitum,
Trans conferta prementium
Curarum cuneis agmina pervicis,
Ad limen Superi Patris,
Auguſtum generis principium tui.
Hinc curæ, illecebræ, metus,
Æſtus, ſpes animi turbida penduli;
Hinc luctum generans amor:
Omne hinc delicium triſtitiæ ferax:
Hinc interlita crimine
Carnis molliculæ cedite gaudia.
Omnes comprimat impetus
Rex in mente ſedens unus amor Dei.
Solius metuens Dei
Nullis ſit metibus mens agitabilis.

Nullas

Nullas delicias petat
Cujus stat solidum delicium Deus.
Spes æterna fideliter
Uni fixa Deo, spes voret anxias,
Queis se fallere gestiunt
Quotquot pollicitis Mundus inebriat,
Nexu & mancipio suos.
At tu per scopulos, per vada lubrica,
Ad te, Christe, Salus mea,
Nitenti validam porrige dexteram.
Ad te currere mens avet;
Curram si tua me magna trahit manus.
Virtus si tua desuat,
Quó tu, Sancte, præis non habilem sequi.
O cujus sine lumine
Torpet Tænariis in tenebris homo,
Fac te mens mea sentiat
Clarum vivificum Justitiæ jubar;
Crystallíque vicem globi,
Æterni radiis Solis inardeat.
Atque ut vespere primulo
Effulget variis læta coloribus
Nubes, fœta cadentibus
Titanis radiis; hic animus brevis
Sub vitæ stadii exitum,
Affectans alio fulgere sub Polo,
Magnâ luce Dei micans,
Sese ostro Fidei purpuret & Spei;
Divis totus amoribus
Implentis cupidum Numinis, aureus,

Spes humanæ.

BASSUS.

AN has remotas hortulanus quispiam
Studuit cylindro æquare planitudines,
Ut esset oculis mollior prolapsio,
Prati in smaragdo lubrico ludentibus?
At quàm placenter, quàm decoris flexibus
Sese virenti gemmeus prato latex
Insinuat! en ut insulas varias creat
In se recurrens; Utque stat blandissimo
Pulchrè comatum limes aspectui nemus.
O rigua prata! O lympha Mæandri æmula!
O nemus opacum! Rufe quid moramur hîc?
Mens currere ardet conspicatum comminus
Hæc grata Tempe. [RUFUS] Parce quæso cursui,
Voraginoso crura nè solo induas,
Priusquam apud te, BASSE, perputaveris
Herbásne possis terere suspenso pede
Aquæ innatantes, quod solent motaculæ.
Non ista prata quæ putas nec plana sunt;
Sed limus ulvis obsitus palustribus,
Tumulis torosus, quos mali junci tenent.
His unda stagnans hîc & hîc interjacet,
Halans mephitim quam nec anseres ferunt,
Ultra paludem clivus erigitur brevis,
Horrens rubetis triste, quæ nemus putas.
Hæc, BASSE, Tempe sic amœna sunt tibi.

BASSUS.

Errantis errat sæpe mens oculi sequax.
At me pigeret hujus erroris magis,

Nisi

Nisi nos doceret. RUFE imaginem vides
Spei dolosæ, res malas fuco boni
Sic oblinentis ut nocivæ maximè
Pellace vultu maximè renideant.
Quot spes inanes, RUFE, venati sumus,
Eminus amœnas, comminus spectantibus
Tristes futuras; mox ut exantlavimus
Cassum laborem, turpiter cœno hæsimus?
Permulta sæpe quò minùs sunt cognita
Magis expetuntur; & malo cupidine
Anteambulone pervicæ & cæcæ Spei,
Rebus remotis, quæque quid sint non liquet,
Imago lucri vel decoris affingitur.
Sic obvoluto capite, per fas & nefas,
Sudore multo, stulta gens mortalium
Ruit in malam rem, capta fallaci bono.
Nec Spes eodem semper est vultu nocens;
Quandoque falsis decipit coloribus,
Quandoque veris, quando sunt notæ satis
Res concupitæ, sed minùs noti sibi
Sunt ambientes, nec suas vires priùs
Novisse satagunt quàm capessant, impares
Lævæque mentis, arduæ stadium Spei.
Quæ turba amantum stantis in trocho Deæ,
Cupiendo fervens, judicando plumbea,
Adblandientis currit in stadio Spei!
En ut laborant, atque trudunt mutuò,
In assequentes calce durâ sæviunt,
Cædunt prementes, æmulos prætervolant,
Agilésque cursu mox suâ fusi cadunt
Velocitate; calcat insequens cohors
Primos cadentes: sternitur latè solum
Cæsis, supinis membra luxatis gravi
Lapsu, madente provolutis in luto.
Plures peremit quàm feri Martis furor
Falsum renidens dira Spes mortalibus;
Sed hos & ipsos quos ferus Mars perdidit
Spes interemit. O quot ærumnas, metus,

Pugnas,

Pugnas, repulsas sordidas vitabimus,
Si spes nocivas, tot malorum semina,
Adnixi ab imis vellimus radicibus!
Nihil timebit, RUFE, qui sperat nihil.

RUFUS.

Imò omnia timet, BASSE, qui sperat nihil.
Spe non rigata vita non vitalis est.
Homo impetitus sortis aspræ fluctibus,
Nisi spe levetur, pessùm in infortunii
Sidit barathro, velut adempto cortice
Nandi imperitus; frangit ærumnis gravi
Vires animósque gelida Desperatio.
At fallit, inquis, vapida Spes hominum genus.
Fallit, sed ipsa surrigit fallacia
Animos jacentes, defetiscentes malis:
Fallacibúsque sæpe pollicitis Spei
Miserrimorum læta debetur Salus.
Sic dum periisse perspicax Rempublicam
Cernens, sibimet attulit manus Cato,
Multi irritâ spe partium victoriæ
Vixêre fortes, quámque formidaverant
Sunt sospitati Cæsaris victoriâ.
Sors ista vitæ sæpius scenam terit.
Nec is tamen sum, BASSE, adulanti Spei
Qui contrà aduler, quémque decipi juvet.
Pendere qui vult pendeat laqueo Spei,
Semétque dignum judicet suspendio.
Meliora nobis fata condixit Deus.
At si magistræ credis experientiæ,
Spes est in Orbe sortis adversæ bonum,
Malum secundæ; nam cadentes erigit,
Stantésque frangit, dum facit præsentia
Fastidientes, de futuris pendulos,
Tumidos, inertes, delicatos, anxios,
Fovétque morbum turbido cupidine
Febricitantum. [BASSUS] RUFE quod res est tetes.
At sive tristis sive læta sors regit,

Spes

Spes nulla rebus in caducis anchoram
Figens, beatos aut honeſtos præſtitit.
Utrumque præſtat imminens perennibus
Spes orta Cœlo, ſéque jam Cœlo inſerens.

Spes Cœleſtis.

SOrti ſiniſtræ cur facis convitium,
Puſille Sergi? dum laboras ſtrenuè
Tibimet tuopte ferre jumento malum.
Nam dic (per iſtam te rogo indulgentiam
Quâ te impotenti mancipas philautiæ)
An ſpe renaci ſors fefellit te mala,
An ipſe temet; qui quod humanis Deus
Rebus negavit ſtultè ab ipſis exigis?
Nè magna opum vis fidat ipſo pondere,
Nè livor umbra prodeat honori comes,
Ærumna noxæ, dedecus turpi lucro;
Ut ſemper agri certa ſit fides tui,
Tuæque lætum quicquid arridet Spei
Pollicita præſtet, nulla corruget tui
Faciem ſereni fœta nubes grandine:
Et tale ſi quid geſtiens cupidinis
Sibimet titillus pollicetur improbe.
Non eſt (tuæ ſi credis experientiæ)
Non eſt quietis ſtatio, nec conſtantiæ,
Quod incolendum contigit homini ſolum:
Ubi ſi laborem mulcet ulla interquies,
Mediam duarum ſe procellarum facit;
Nec quidquam eorum queis anhelus immines
Morſum fidelem præbet anchoræ Spei:
Non celſi honores, non amici, non opes,
Non ipſa Virtus; cùm nec hîc adoleſcere

In abſolutum robur & firmum queat,
Nec ſolida fragilis indipiſci præmia.
Sic ille voluit Arbiter rerum Deus,
Ut noſtra Cœli mens genus, memor ſui,
Cœlum ſitiret, Cœlum, & udæ ſperneret
Telluris Orbem nobili faſtidio.
Equidem vocantem, quâ præit, ſequor impiger
Super aſtra Chriſtum; celſus effœtum diem
Poſt terga linquo, Solis emenſus vices.
Mihi candidato cœlitis Politiæ,
Quanquam gravato carnis immundæ jugo,
Cupido Cœli pura, ſancte pervica,
Adolevit in Spem; Spes recluſit in Deo
Opes repoſtas, quas nec auris audiit
Nec vidit oculus, proprias fidelibus
Carcere ſolutis, ſpéque libandas priùs
In anteceſſum: fundus hic firmus, Spei
Mordendus acri dente ſubſtat anchoræ.
Portum ſalutis nactus, anchoram ſacram
Hîc jacio fidens, nec Deo quidquam minùs
Amplector hærens; non movendus perperam
Miniſve Boreæ turbulentis aut Noti.
Zephyríve blandi ſubdolâ pellaciâ,
Quæ mox procellis aſperetur Africi.
Licétque jacter fictili vectus ſcaphâ,
Mundíque ventis debeam ludibrium,
Immota perſtat fixa cœlis anchora;
Et quando ſævis pulſa longùm fluctibus,
Senióque tandem quaſſa diſſiliet celox,
Se vector animus naufragæ damno ratis
Laribus paternis redditum mirabitur.

Fiat

Fiat voluntas tua.

PErenne vobis impero silentium,
Spei dolosæ pendulæ cupidines,
Dubiæque sortis anxiæ formidines.
Quietis hostes turbulentæ quid, (malum!)
Obmurmurati, déque rebus perperam
Tumultuatis quæ Dei in genibus jacent?
In te recumbam totus, Optime Maxime,
Lætúsque, gnarâ mente cui confiderim:
Cui quàm mihimet charior semper fiem,
Qui filiorum perpes invigiles bono,
Potiúsque des quod expedit quàm quod placet.
Una ergò cura, Genitor, incumbat mihi,
Ut recta, firma, juncta constanter tuæ
Mea stet Voluntas, quicquid aut agere aut pati
Sapiens Bonúsque me Gubernatot velis.
Túque ut libebit, ceu lutum figulus solet,
Hoc finge pectus atque fortunas meas,
O qui nihil quod non sit optimum facis.
Sim, summe Rector, in tua quidvis manu,
Modò vas honori serviam proprium tuo.
Seu me decorum luce vestis aureâ,
Pro luce meritas lucidus grates agam.
Seu me tenebris condis obscurum caput,
Tibi pro tenebris gratias latens agam.
Seu me deorsum trudis, aut sursum levas;
Seu fruge largâ, sive demenso instruis
Breviore mensam; sive das vitam aut necem,
Non esse felix non queo, dum sum tuus.

EPIGRAM-

EPIGRAMMATA.

I.

SIccine, Sancte, meo vestitus crimine pœnam
Quam merui proprio corpore, Christe, luis?
Ast indutus ego meritorum veste tuorum,
Accipio tantæ præmia justitiæ.
Define conscia mens peccati horrere tribunal
Æternum, & justi Judicis ora Dei.
Spiritus hic mutans Christo cum vindice vestem,
Personam Christi sustinet, ille meam.

II.

Scilicet à sæva datur ista tyrannide nobis
Optio, non ullis effugienda modis;
Aut pravè violanda fides Regique Deóque,
Aut inopes fundo pellimur atque domo.
Nec Mundum atque Deum simul est retinere potestas,
Perdere continuò cogimur alterutrum.
Quid dixi alterutrum, cùm sit perdendus uterque,
Si Mundi Dominum sperno tenere Deum?
Quid dubitem Mundum Mundi postponere Regi,
Vel solâ officium commoditate probans?
Nam neque te, Deus alme, fruens te Munde carebo:
An Domini rerum compos egere potest?
Munde vale: sed non procul hinc dimissus abibis,
Dum mihi servo Deum, te quoque servo mihi.

III. Quum

III.

Quum precor ut liber vivam curísque solutus,
Non ego divitias te, Pater alme, rogo.
An se posse putet, cui mens sit sana, levari,
Adjiciens oneri pondera plura suo?
Gratia multa mihi, non multa pecunia crescat;
Hæc hominum mentes degravat, illa levat.

IV.

Stent alii illustres, & honoris torque decori,
Non mihi surgat honos, ne mihi crescat onus.

V.

Das mihi quod satis est largâ, Pater Optime, dextrâ;
Quódque nihil merito plùs satis esse reor.
At per te locuples, nisi te sentítque sapítque,
Nescio quid curtæ sentit abesse rei.
Seu res arcta mihi seu sors obtingit opima,
Tecum dulcia sunt omnia, nil sine te.
Nil sine te Pater alme dato; secus omnia tolle:
At mihi tu solum te dato, dives ero.

VI.

Merces ære gravi leves parâsti,
Emptor Tite sagax minutiarum;
Vulsas Occiduo sub axe plumas,
Quassas exuvias Libys colubræ,
Lectas littore cochleas in Indo,
Arentem crocodilum hiante rictu,
Fartos stramine Sumatræ lacertos,
Falcatáque Chamæleonta caudâ,
Mentiti articulum pedis Gigantis,
Tritonum vario colore squamas,
Et lectum filicis malâ arte semen,

Gryphis

Gryphis cornua, simiæque caudam.
Hoc natis patrimonium reponis.
Hinc natæ numerabitur tuæ dos:
Pro nummis gener auferet trecentas
Conchas littoris Indici striatas;
Addetúrque virum unde nupta pascat
Mulgendus crocodilus, atque crudum
Quæ nunquam stomachum gravent, modò illas
Intactas jubeat jacere, gerræ,
Tricæ, quisquiliæque, quas nec assis
Contrà æruginè pignerare curti
In summa queat esuritione.
Hoc te, Tite, velim semel rogatum,
Ut rerum pretium æstimes ab usu;
Utque urigine pruriens emendi,
Hoc arctè teneas Catonianum,
Quicquid non opus est & asse carum est.

VII.

Viro Clarissimo Collegæ meo suavissimo Dr. PETRO GUNNINGO, *Professori Regio, & Collegii* D. Joannis *Cantab. Magistro.*

QUòd clarum horrificis micuisti lumen in umbris,
Inque procellosis fluctibus alta Pharos:
Quòd tuus armatas acies vultúmque Tyranni
Contempsit sanctæ Relligionis amor;
Monstra quòd hæreseon, capitúmque frementia centum
Schismata, devictas dant tibi Petre manus:
Quòd studia & mores, prudens, mitísque, severúsque
Arbiter, ingenuâ cum gravitate regis;

Hæc

Hæc laudent alii: tua te bene gesta celebrent,
Virtutíque tuæ laus sit ubique comes;
At mihi, qui nobis quod dulce, quod utile quærens,
Antefero laudi commoda nostra tuæ,
Hoc unum laudare libet, quòd habéfque colíſque
Sinceræ mecum fœdus amicitiæ.
Nempe tibi tali quòd nos & nostra probantur,
Petre, tuo nostrum surgit honore decus:
Dúmque decus tantum notum omnibus esse laboro,
Non tibi sed famæ consulo, Petre, meæ.

VIII.

GULIELMO BARKERIO *meo.*

O Salve mihi facte Vir ad unguem;
Quem miror modò publicè disertum,
Privatim modò candidè facetum.
Cui fons ingenii politioris
Puro luxuriat perennis amne;
Fundens ingenuas, domíque natas,
Non extra genitas amœnitates:
Illis dissimilis quibus repôstus
Est constans numerus domi jocorum,
Scurrilis soboles olens popinæ,
Quos ultra subito aridi fatiscunt;
Ut vilis solet absque fonte rivus,
Sordens colluvies nivis solutæ.
BARKERI pater elegantiarum,
Vivo fonte tibi scaturientum;
Has quæ sponte tibi excidêre gemmas
Circumquaque legi & geri videbis,
Cornicéſque tuis nitere plumis.
Surrepti sális est ubique multum,
Perpauci proprias habent salinas.
Et dum mellificant apes Hymetti,

Fuci rapta ferunt in ore mella.
Sic nunc vivitur, arte se tuetur
Ordo quisque suâ; suâ quoque arte
Cur non se tueatur ordo totum?

THOMÆ FOTHERBIO meo.

IX.

HUi! quæ, FOTHERBI chare, nobis obtigit
Inanitatis scena, quam vitam vocant!
In quâ inquietus vanitatis improbæ
Trochus rotatur, quâmque rebus seriis
Nemo æstimator æquus annumeraverit,
Qui nil in ipsa præter ipsam quæreret.
Est nempe vita perforatis utribus
Dapem ingerendi & egerendi circulus;
Catena rerum dissidentium sibi,
Amor, odium, peccata, pœnitentia,
Peccata rursum, gaudio intextus dolor;
Invidia ditem, pauperem Fastus premit:
Hinc Spes renidet, indè Spem necat Metus.
Ærumna mentem, conficit corpus Labor.
Veniúntque flendi & efferendi liberi,
Flendi & ferendi liberi superstites.
Mendax agellus, furta, turbo publicus,
Et iniqua lis res atterunt domesticas.
At si viget res maximè & floret decus,
Utrumque venis ingruens febricula
Vitæque munus ilicet raptum venit.
Tanti, FOTHERBI, non erat nos vivere.

X. *Eidem.*

X. *Eidem.*

VItæ, FOTHERBI, candidate cœlitis,
Tunc vita vitæ est digna demum nomine,
Huic quando vitæ vita nobilior præest,
Mentísque mentem Christus ingenerat suam.
Tunc turbulentâ sorte quæ volvi putes,
Et ruere fraudis improbæ ludibria,
Videas latente providentiâ regi,
Bonis creante rebus ex malis bonas,
Lucem in tenebris, tutam in inviis viam;
Vertiginosis dum parat turbonibus
Crucem malignæ præmium vertiginis.
At sospitante fortis est justus Deo,
Annísque Consul est sibi non unius.
Infractus animus asperis & mollibus,
Inter salebras, & dolosæ lubricas
Noxæ illecebras ambulans cauto pede,
Utriusque sortis effugit pericula.
Cœli creatus civis, & Cœlo imminens,
Nihil moratur macriúsne an unctiùs
Obsonet ísto carnis in gurgustio.
Non quid, sed à quo sit datum spectans, Dei
Quod dextra porgit corde læto vescitur.
Dei in secundis, fausta in adversis Dei
Dextram Parentis mente gratâ suspicit.
Suis utrinque qui salutem conficit.
Quid plura? cùm nos educet sibi Deus
Per varia vitæ providus discrimina,
Cœlísque cum sit Terra vestibulum pio,
Est hæc, FOTHERBI, vita vitalis bonis.

XI.

VIvere si lætam cupis & sine crimine vitam,
Bonæque morti prævíam;
Nil quidquam facias dum spiritus hos reget artus,
Moriens quod infectum velis.

XII.

Pio & erudito NICOLAO BRETTO.

BRette mihi quam das ad te laus sponte recurrit,
Et dum me celebras in celebrante manet.
Grata tamen laus est à digno laude profecta:
Gratum est cordatis me placuisse viris.
Gratum etiam quòd nostra tibi quæ scripta probantur
Lecta malè edoctis displicuêre viris.
Nec mihimet saperem saperent si nostra palatis
Queis sapiunt Stygii sola venena lacûs.
At cum vera tuens falsis petar undique telis,
Et lacerer nigræ dentibus Invidiæ;
Quòd certanti animos addis clamore secundo,
Id quod te dignum est, candide BRETTE facis.
Parce tamen laudi; quam nec nos BRETTE meremur,
Nec cupimus. Soli est debita tota Deo.
Quò magis ex hominum captantur præmia laude,
Hoc minùs à Domino præmia vera fluunt.

Doctißimo

XIII.

Doctiſsimo THOMÆ WATSONO, *S. Th. Bacc. Coll.* D. Johan. *Socio.*

Quòd me nomine vix tibi
Notum réſque meas propitius foves,
Ingentes habeo tibi
Quas impar nequeo reddere gratias.
At te quod bene cœperis
Id præſtare tuus nunc amor obligat:
Et quod tu mihi non potes,
Id debere tamen te tibi ſis memor.

XIV.

Multum pollicitus, nihílque præſtans
Spem noſtram Linus haud fefellit unquam;
Nec fallet, niſi quando mente lævâ
Ipſius Fidei meam alligâro;
Aut quum fallere Spes amans, docebit
Deſperantem etiam poteſſe falli.

XV.

NOn ſatis eſto tibi quòd nullo crimine vitam
Volens ſciénſque polluis;
Non feciſſe bonum, neque juſta ad facta volentem
Mentem appuliſſe, crimen eſt.
Nam quando ad lævam magnus Quæſitor iniquos
Seponet, ad dextram bonos,
Non mala diſquiret quæ tu non feceris unquam,
Sed quòd bonum non feceris.

XVI.

SOrtitus agri glebulam nec ingrati
Nec invidendi, ſuavitate amicorum
Famam ſecundam, ſimplicémque convictum;
In his beatam non ab his ago vitam.
Nil quod foris ſtat intus hoc beat pectus:
Humilem ſed ingens hoſpes incolens mentem,
In quo quieſco, quo caleſco nonnunquam,
Deus nihil non efficit mihi gratum,
Amore dantis influente conditum.
Intúſque ridet gratiæ ſalutaris
Radius benignus, gloriæque ſtrictura;
Hæc intus orta gaudia intus hærebunt:
Exibit omne gaudium quod intrsvit.

XVII.

REgis in exilio, Regi Regémque ſecutis
Nævole ec nullus ſævior hoſtis erat.
Nunc ſolium implentis Philetax acerrimus, hoſtes
Principis ad Stygios deprimis uſque lacus.
Papæ! quæ rediens edit miracula Princeps!
Nunc prodis Paulus qui modò Saulus erat.

XVIII.

OPes, honores, ſervitutes ſplendidæ,
Cupiditatis jamdiu ſtomachum tuæ
Gravant nec implent. Quinte; nos id quod levat
Implérque mentes unicè quæſivimus
Invenimúſque, perpetem pacem Dei,
Deúmque pacis: pectus hoc ſubſtantiam
Felicitatis eſurit, non bracteas.

XIX. Ergò

XIX.

ERgò amitam tandem lachrymoso funere condis,
Quò tibi larga seges, Quinte, metenda venit.
At quibus incuses infidum quæstibus Orcum,
Sarcophagus vivam si tibi reddat anum?
Macte animo, fera & tibi non nocitura redibit.
Securus tabulis quæ tibi liquit habe.
Sed quia funus amat lachrymas, agel pingitor idem
Luctus in hoc abitu qui foret in sedilu.

XX.

TOtus Alexandri voto non sufficit Orbis,
Nec magis optatis sufficit ille meis:
Et vos immensi veneror genus humanum,
Agnoscóque notas effigiémque Dei.
Infinite Pater, solum te nostrâ cupido
Infinita sibi comperit esse satis.

XXI.

QUi modò fideream miranti lampada Mundo
Præbuit, incertum doctior an melior,
Occidit heu! nostri Sol aureus occidit ævi,
Jámque latens metam purpurat Occiduam.
Cernis ut illustrem texant sibi posthuma limbum
Lumina, & elapsi splendeat ignis honos,
Ceu rutilis Titan sua tecta coloribus ornat,
Hesperio faciem conditus Oceano.
Sed modo digresso vanescunt Sole colores;
Perpetuum nostri fulget in Orbe decus.

XXII.

Qui ſub iſto Marmore quieſcit
olim fuit

PETRUS MOLINÆUS.

Hoc ſat viator; reliqua nôſti, quiſquis es
Qui nomen inclytum legis.
Laudes, Beati gloria haud deſiderat,
Aut ſuſtinet modeſtia.

obiit Sedani *AD VI. NON. MART.*
MDCLVIII.
ÆTAT. ANNO XC.

Clifford a

Clifforda Nobilitas.

Qualis cacumen nubibus abdita,
Nullísque ramos cæsa bipennibus,
Sacrum decus servat comarum,
Et solidum inviolata robur
Ilex, vetusti diluvii memor,
Sub qua parentes compositi luto
Fregêre glandem, quando frugum
Aurea gens metuebat usum.
Hîc immolârunt fraga Patri Deo,
Templis carentes innocuum genus
Majorum, & augustam nepotes
Indigenæ venerantur umbram.
Illam verentur tangere fulmina,
Truncúsque nulli mobilis Africo
Radicibus Terræ coævis
Jugera tota profundus urget.
Talis per annos innumeros domûs
Latè decorus fulget apex tuæ
HENRICE, fortunâ tenaci,
Et memores superante Fastos.
Quam non tumultus contudit impotens,
Non celsa Regum dextra minantium,
Ipsúmque sub limen cruento
Tota cohors Procerum duello.
Quippe hanc benigni fausta Dei manus,
Virtúsque fato cedere nescia,
Contra recurrentes ruinas
Asserit, & Pietatis ægis,
Injurioſi Temporis aleam,
Iras Tyrannorum exitiabiles,

Stragésque,

Stragésque, & armatas Erinnes
Numinis auſpiciis retundens.
Pulchrè cadentes quid memorem Duces,
Invicta Morti pectora, queis domus
Clifforda, ceu vitis, per ipſum
Duxit opes animúmque vulnus?
Æterna vivet ſecla GEORGIUS,
Torvè minacis terror Iberiæ;
Præclarus occupâſſe *Ditem*
Heſperia lachrymante *Portum*.
Nunc magna magni ſanguinis indoles,
Quovíſque fundo fundus opimior
Virtus, in HENRICUM merentem
Cum patriis titulis recumbit.
Hâc quàm paterno ſtemmate notior,
Felíxque lætis umbra clientibus,
Latè poteſtatem benignam
Per populos agitat volentes.
Robuſta morum ſimplicitas viro;
Frons alma, celſi conſcia ſpiritûs:
Mens docta reginas per artes,
Pace magìs dubiúmne bello.
Te ſera Olympi regia flagitet,
Quum duplicatis functus honoribus
Latè propagatos probaris
Nominis & Genii nepotes.

Hono-

Honoratiſsimo Domino CAROLO *Baroni* CLIFFORDO, *Diſcipulo quondam meo dilectiſsimo.*

SAlve progenies boni
Et magni, Superûm cœtibus additi
HENRICI; veteri novum,
Virtute ingenuâ, magnanimâ, piâ,
Addentis generi decus.
O qui lætus avi fulgis honoribus,
Virtutis radiis quoque
Effulgere voles, juſtus, amabilis:
Soliſque impiger æmulus;
Dum fulges, etiam vivificus, fovens,
Multis utilis, omnium
Ditabis placitis temet amoribus.
Et cùm per medias tibi
Sit ſeeli ſcorias curſus; & horridùm
Blaſphemantibus Atheis,
Et tentaminibus flagitii, tuæ
Aures undique perſonent;
Incedes vitii per laqueos pius,
Caſtus, ſobrius, integer:
Culto ſuppliciter Numine viribus
Adjutante ſuis tuas.
Sic Allobrogici trans latices lacus
Purus ſtantis aquæ fugit,
Immixtúmque celer ſe Rhodanus rapit.
Atque ut clariùs emicat
Nigris & gelidis flammâ prementibus
Circumſeſſa vaporibus,
Vivo diſcutiens nubila fulgure;

Vires

Vires acta retro novas
  Ex ipsis vitiorum obsidionibus
Virtus vivida duplicet:
  Et flammam opposito frigore contrahat
Ille in mente pius calor,
  Quem charum ab teneris unguiculis foves,
Sic felicibus auspicIs,
  Fortunate bonis orte parentibus,
Sis longùm soboli bonæ
  Exemplo præiens, ipse parens bonus.
Sic semper bona Faustitas
  Et longis Pietas aurea seculis,
Certo fœdere se sacras
  Custodes generi constituant tuo.

M. S.

M. S.

NObilissimus RICARDUS BOYLE, Honoratissimi RICARDI Burlingtoniæ & Corcagiæ Comitis filius; Honoratissimi HENRICI Cumbriæ Comitis, ex Honoratissima ELIZABETHA unica filia & hærede nepos.

Bonus bonis prognatus,
Excelsæ indolis juvenis,

Ingenio, industriâ, morúmque candore & suavitate commendatissimus,

Pacis & belli artium feliciter studiosus,
Virtutem & honorem totus spirans,

Ad difficillimum bellum, Regis sui fratrem, Heroicum Principem, sequutus; in acerrimo navali prælio proximus ejus lateri dimicans, heu! fatali machinæ globo interemptus, sanguine suo Principem, ejus amantissimum, cadens conspersit; quasi suum pro spe & columine Angliæ caput traderet, quod antè (ut Regi patriæque debitum) promptus alacérque devoverat.

Ille sanè eâ virtute melius, diutissimè & vivere & florere meruit, mori gloriosiùs non potuit, nec patriæ utiliùs, quàm vibratum in sacrum Principem funestum telum corpore suo excipere.

Cum vero corpore per prælii tumultum in mare devoluto, mœstis parentibus defuerit lachrymosum funeris solatium: Cumque liquidò marmori quo contegitur supremæ valedicentium amicorum alloquutiones insculpi nequeant: Hîc ejus virtutis & nostri amoris.

Illustri Discipulo,
Charissimo capiti,
Monimentum fiato:

Et quandiu post obitum vivam, huic operi coævum permaneto.

Patriæ & suis ereptus fuit Jun. 3. 1666.
Annos natus xxiv.

Matris

Eidem.

MAtris amor, pia cura Patris, mea magna voluptas,
Heu letho ante diem tradite! rapte tuis!
En ad quam trepidi te ſpem eduxêre Parentes!
Cede dolor; Donat ſpe meliora Deus.
Dona dat in Cœlis animæ condigna fideli.
Dat vitam hoc letho perpetuare ſuam.

Annæ Bariæ Encomium

QUòd te, bellula, pectus eruditum
Laudo lacteolo ſinu tegentem,
Ah nè virgineus pudor tuarum
Inſpergat violâ nivem genarum.
Hos canos vide: mitte ſuſpicari
Cui jam luſtra decem peregit ætas,
Qui nomen Sophiæ dedit ſeveræ.
Iſtos ſideribus pares gemellis
Germanorum Helenæ tuos ocellos,
Ardore ingenuo colat Juventus,
Si quæ digna regi igne tam ſereno.
Nos formæ roſeum tuæ decorem,
Quo non vema magis, tepente Maio,
Aurora in croceis micat quadrigis,
Quo purós oculo decet, videmus;
Jamdudum emeriti, diúque docti

Iſtos

Istos frigiduli gradi per ignes:
Qui nempe ex mediis solemus hortis,
Visis floribus aut odore solo
Læti simpliciter, redire inanes;
Et nacti similem rosam tuimet,
Enatam modò, primulúmque hiscam,
Quam ros ambrosio colit monili,
Intactâ fruimur, satis beati
Servâsse ingenuum rosis honorem.
Ast à flore tuæ, puella, mentis,
Non sic abstineo manum modestam,
Divinæ procus eruditionis.
Nempe hic virgineo magis tuus flos,
Ipsi dissimilis, perit relictus,
Decerptus manet, & novos ab ipsa
Ducit messe animos novúmque honorem.
Jámque edico, tibi caveto portò,
Nam si quid levius tibi timendum
A me, diripiam malus, ruámque
Velum virginei pudoris istud,
Quo tantas animi, modesta, dotes
Perstas omnibus invidere doctis.
Hui! téne ut patiar tibi & Camœnis
Occultam canere, & tibi sepulchrum
Vivæ condere? tén' avara, solam
Defossis opibus sinam incubare?
Huc quotquot superestis eruditi
Huic cladi exitióque litterarum,
Huc conferte manum, & simul puellæ
Eluctate superfluum pudorem.
Velum detrahite. En pudente pugnâ
Contra nititur, & tegi laborat:
Vos vi rem gerite; ocyùs puellam
Expugnate viri. Hem, sat est, reductum
Velum est. Nunc oculos beate vestros.
Papæ, quot Charites! quid hîc repósti
Thesauri patet! En chorus lepórum,
Galliéque ingenii eloquentiæque,

En puræ Genius Latinitatis
Graiarum penus elegantiarum,
En quæ carmina mustulenta fundit
Quovis nectare dulciùs Camœna.
Accedit pietate mens subacta,
Incoctúmque animo tenax honestum,
Prudens simplicitas, pudórque lætus,
Recti conscia mens quieta, frónsque
Index candidulæ serena mentis.
Nec constat bene virginísne mores
Sancti sint magìs an magìs venusti.
Mitto cætera queis beata pollet
Hæc docti patris erudita proles,
Et virtutibus instituta matris.
Quondam *Annæ* æmula τῆς πάνυ *Mariæ*,
Quum per consimiles licebit annos.
Si non ista procis petita forma
Doctrinæ officit, & Venus Minervæ;
Immittens rapidos Amoris æstus,
Queis totum ingenii asperetur æquor,
Planum nunc placidúmque mentis æquor,
Ceu quondam Alcyoni favente Ponto
Cœli se speculo vident in udo.
At tu firma tuis amica Musis,
Hanc, ANNA, ingenii tuere spartam,
Claram (proh Deus!) atque fructuosam.
Ast hìc fortè aliquis procus reclamet,
Ergóne ut Veneres Cupidinésque
A tam bellâ animâ exules faceſſant?
Ah! saltem Venerum Cupidinúmque
Quædam flamina molliter susurrent,
Ut quando Zephyri aura ludibundi
Rugosam levis osculatur undam.
Nam lux puriùs ingeni micabit
Trans fluctus trepidos Amoris, ut Sol
In mota varius refulget unda.
His certè, tibi si magìs probantur,
Victas ecce manus damus libenter:

Certè

Certè nè quis amor tibi ANNA amorem
Sacræ detrahat eruditionis,
Sed rectricem animæ ſerenæ habenam
Doctrina & Pietas perenne tractent,
Hoc verò magis ac magis rogamus.

Doctiſsimo Jano Flitio.

FLiti noſter amor, politioris
Doctrinæ penus elegantiæque;
Nam moroſa tua & ſevera jura
Haud pili facio, & negotioſam
Rerum congeriem politicarum,
Quæ te ſurripiunt tibi tuíſque.
Hæc ingrata tuæ involucra mentis
Tantiſper removeto; Flitiúmque
Da purum mihi da videre putum,
Totum delicium & meros lepores.
Te ſi diva Themis ſuum fatetur,
Quæ debes, age, redde jura, redde
Promiſſos mihi debitóſque verſus:
Quos debes, age, redde Jane verſus.
Sic ſanè valeas, ut hocce nomen
Si non expedias ſinam te inultum
Decoxiſſe mihi; Eia redde verſus.
Queis ſi materiem requiris æquam,
Annam concelebra mihi *Bariam*,
Ipſam ſcilicet ἴμερον Camœnam;
Fac hic floſculus eruditionis,
Ad famæ decus efficace pennâ
Pennâ, Jane, tuâ cluat per Orbem.
Sic qui creditor imminet tibi nunc
Præſtabis tibi, Jane, debitorem.

JOHANNI CASTILIONI

meo. Regis Sacellano.

CAstilio amari dignior quàm diligi,
Quòd tecum eidem Regio famulatui
Adscriptus, aulæ limine abstineo volens,
Domíque privam rusticus vitam colo,
In Principum aulis non merus prorsus tyro,
Causam rogatus instituri edam mei.
Ea est quod aulam utcunque jam novi diu,
Magísque memet, nunc minùs firmum senem,
Cui sit theatro digredi consultius
Tumultuosam quàm semel scenam ingredi,
Ex qua pedem referre non sit integrum.
Qui colla, victor hactenus, spernit dare
Emerita luctæ tristis Invidentiæ.
Satísque gnarus quàm sit exilis sibi
Intus supellex, quàm sit aliis auctior,
Semet tueri cogitat, non tollere.
Non tollere istum satago, non egeo gradum:
Doctus talentis, si mihi ad manum forent,
Unam quietis unciam præponere.
Modus iste nobis perplacet, paulùm ab luto
Submotus, infra celsa subsidens juga
Quæ nunc ab Euro nunc ab Austro vapulant.
Nec video quàm se plurimùm beaverint
Me digniores, qui ferente Favonio
Ad sacrum honoris subvolaverunt decus,
Cui nempe debet nemo non assurgere,
Nemo invidere; stat viris multo id decus,
Qui sorte primæ magnitudinis solent

Æquare

Æquare ſtellas, poſſidentes fulgidum
In Orbe celſo gemmeæ lucis jubar.
Nullam quietem. Perge Vir quo dignus es;
Tuæque certet dotibus mentis favor,
Virtuti adæquans præmia meritus gradus;
Breviſque dubitem melior an major ſies.
Ego in reducta valle lætus hâc fruar
Auditione, dum ſenex inglorius
Memet quiete non inerte mulceo.
Et poſt ſolutum quem meæ provinciæ
Debeo laborem, ſub rubentem veſperam
Purum meorum collium ſpiro aërem;
Nemoris ad oram ſæpe ſuſpenſo gradu
Silénſque, vincto conſimilis, aëdonis
Flexus canoros aure capto pendulâ;
Aut in tapete quem tetendit Heſperus
Phœbo occubanti fixus oculis hæreo,
Qui diſcolorem fecit auro purpuram,
Aurum ſmaragdo, quíque teſſellis ſinus
Variat ſtriatos fulgidarum nubium.
Hinc Conditoris laude divâ me beans,
Lætus revertor ad lares pares mihi;
Rigórque lenis rore Somni, quod ſat eſt
Lucis ſequentis ſuſtinendo munia.
Hunc ſi tenorem proprium facit mihi
Summi Parentis mitis indulgentia,
Non ampliori ſorte permutem meam,
Proceribus, ipſíſque invidendus Regibus.

EPICEDIUM

Reverendiſſimi GULIELMI JUXONI *Archiepiſcopi* Cantuarienſis, *Totius Angliæ Primatis & Metropolitani.*

MAgne Heros, Musâ dudum mihi dicte pedeſtri,
Heroâ dicende mihi mœſtâque Camœnâ;
Accipe juſta tuo quæ felix munere ſolvo,
Infelix obitu, per opacas ſaltibus umbras,
Seu Veſper pepulit, ſeu Solem Aurora reduxit
Quæ per te teneo latè loca queſtibus urgens,
Adſtringens numeris gemitus, meritíque Patroni
Alternis laudes ſingultibus intertexens.
Occidis heu! patriæ lumen coiuménque gementis,
Jamdudum ambiguæ quis plùs tibi debeat uni,
CAROLUS an populus, regimen civile ſacrúmne,
Celsíne an tenues, an oves oviúmne magiſtri.
Scilicet his humeris geminata Eccleſia cura
Cum fiſco incubuit, nec mole & pondere magnum
Fregit onus vires nervoſâ mente ferentis.
Talis Atlas niſu curvæ cervicis Olympum
Bajulat, intendens artus, ſurſúmque lacertis
Hinc atque hinc vaſtum circumplectentibus Orbem.
O quàm te memorem magni commilito Regis
Martyris, infandæ præbentis colla ſecuri!
Commiſſurus enim cum diro prælia letho,

Rapturúſque

Rapturúſque ipſum ſancte violentus Olympum,
Te ſibi ſupremi ſocium certaminis unum
Armigerúmque vocat, fidúmque adjungit Achatem.
Túque laboranti comes indivulſus adhærens,
Fulmineum Verbi gladium, galeámque Salutis
Poſcenti tradis; tu fortia pectora circum
Juſtitiæ loricam aptas, clypeíque miniſtras
Magnum orbem Fidei rigidum ſeptemplice ferro,
Quo tela igniferi mala Vejovis extinguantur.
Ille ergò heroâ fortis pietate, tuíſque
Audens conſiliis, Chriſti veſtigia ſervat
In Cruce calcantis Satanam, moriénſque reportat
Vitai æternum victa de morte triumphum.
At ſimul excîdit divum turba impia Regem,
Te comitem violenta rapit; qui nempe fidelis
(Hoc crimen fuit) auguſto delectus amico
Conſcius, & juſſus morituri arcana tenebas;
Tentatura minis & cæco carcere, ſi qua
Erueret tibi quæ excedens mandata dediſſet,
Sed Solem rutilo citiùs divellere curru
Quàm reticenda queat fido de pectore juſſa.
Ergò ubi te partes fruſtrà verſavit in omnes,
Nec quicquam invenit robuſta in mente dehiſcens,
Victa manum abſtinuit, libertatíque remiſit
Virtutem incolumem: fueras in carcere liber.
Hos eluctatus ſcopulos, Vir Magne, reductam
Produxti, tacitus meliora in tempora vitam;
Ultima laturus divi mandata Parentis
Regnanti Nato; & coram eſt data copia fandi.
Hunc patrio celſum ſolio, vegetúmque tuíſque
Donatum precibus, emergentémque ruinarum
Ex cumulo charam Chriſti cùm videris ædem,
Te juvit vixiſſe diu, licèt æger, anhelo
Cœleſtem ad patriam conamine ſuſpirares.
Attamen attritæ confecto in corpore vires
Te primum meritis non ſubduxêre verendo
Detrectantem oneri quod primo appendet honori.
Quin prudens pietas, & mens cultiſſima ſummis

Artibus, & nullâ Virtus effœta senectâ,
Pontificem sacris te præfecêre supremum.
Heu quòd tam seri!, quòd tam propè distat honoris
Ortus ab Occasu! quòd amico Sole foveri
Post longas hyemes Ecclesia nostra renascens
Vix tandem potuit, paucísque, obitérque, diebus!
O mentem retinens inter tormenta serenam,
Sancte senex, cujus, dira in fornace dolorum,
Fulsit viva Fides, obryzo clarior auro!
O sacer in cœlis memorísque in mente tuorum
Æternùm victure vale! propriáque potitor,
Post Christum Mosémque hominum mitissime, pace.
Sed tristem occasum lætissimus excipit Ortus;
Surgentísque Astri radiis splendescit Horizon.

In Magni BOCHARTI *historiam animalium.*

EDit Io Princeps munus regale BOCHARTUS,
Magnifico celsus podio. Subsellia prima
Patritii obtineant docti, sanctúsque Senatus.
Doctorúmque alter de Nobilitate secundâ
Pulvinis sedeat spectans in equestribus ordo:
Nos populus summâ in causâ; Tamen indè videntes
Quanta stupescenti donet spectacula Mundo.
Non tot ab extremis advecta animalia terris
Romana exhibuit variis speciebus arena
Luxurians, quum Roma potens, molimine vasto
Per glaciale solum, per adustum Sole propinquo,
Quâ Sol æquoreis prodit, quâ mergitur undis,
Intima sævarum spoliabat lustra ferarum,
Spectandi cupidos oblectatura Quirites.

Quantula

Quantula pars labor ille tui, Vir Magne, laboris?
Qui per inexpertas Romanis artibus artes,
Ignotas nostro Orbe feras dudúmque latentes,
Effodis è cæcis longâ caligine lustris.
Tu tibi per variæ commercia plurima linguæ
Concilias linguæ divisas limite Gentes,
Concordésque tui famulas facis Amphitheatri.
Cum Pœno tibi servit Arabs, tibi Maurus uterque,
Euphrates, Tigrísque, & Rhenus, & Ister, & Albis,
Et tibi jam notâ celebratus origine Nilus.
Et tandem Solymæ concors Samaritica tellus,
A te docta tuo fasces submittere Judæ.
Venantur tibi Parthus atrox, & Seres, & Indus,
Aurea Taprobane, Persis pharetrata, genúsque
Decolor Æthiopum calidi fervore Leonis.
Quin Roma occultos latè populata recessus,
Jam tibi fessa favet, sacrum mirata laborem,
Atque suam venerans aperítque & cedit arenam.
Túque tuam, numerosa tibi cùm copia surgat,
Cædibus haud violas aut sanguine tingis arenam;
Nullis condis apris, nullis venabula pardis,
Nec fontes Scythico lacerandos objicis urso.
Sed dociles, Sophiæque feras documenta daturas,
Mandata accipiens Adami genus omne animantum,
Munificos corvos, promos condósque Prophetæ,
Et fœtum Hebræo producis melle leonem.
Quid quòd magnificos affundis rebus honores
Exiguis? quòd verna canis, quòd porcus arator,
Venator felis, fossórque cuniculus agri,
Et gallus vigil, & si quid depressius istis,
Nescio quid per te celsum & mirabile spirant.
Munere perfecto, doctorum tota (sed eheu
Quàm non densa cohors) authorem muneris invitum
Eia triumphali sublimem attollite curru.
Et radiante caput meritum redimite coronâ.
Turba favens, picti regiones præferat Orbis,
Oceano cinctas atque amnibus intersectas.
Navigiis spument & turpibus æquora phocis.

Stagna colant anates, ludant in littore mergi,
Mæander cygnis, crocodilis Nilus abundet,
Afra feris tellus, elephantis India nigris;
Cætera per proprias errent animalia terras.
Diversâ in tabulâ spectetur cana Vetustas,
Horrida, dimidium rarâ caput abdita nube;
Huic comes ex puteo tenebrarum emergat opaco
Filia nuda Croni, Genitorem amplexa trahentem;
Et nubem ex alto divus discriminet ignis.
Augustæ propior studiosa juventa quadrigæ
Festa Palæstinis præcingens tempora palmis
Saltet ovans, & cantet Io jucunda triumphe.

Hispano-

Hiſpanorum Peruanæ victoriæ.

Aurea ducebant Peruanæ ſecula Terræ.
Aurea, quòd ſervum nullus ſe traderet auro.
Juris amor populis, facilis robuſtáque morum
Simplicitas, arctiſque comes mens ſobria rebus.
Cenſus nullus eis privatus, at omnibus ingens
Publicus, & vaſti communia commoda regni.
Lenia tranquillas mulcebant otia gentes:
Quippe quibus nec avara fames, nec cura futuri.
Aurum ceu lapides ipſis commune; ſed iiſdem
Pluris erant auro lapides, omne utile pompa.
Ecce genus ſimplex hominum, qui ferrea nondum
Arma nec ignivomi cognôrant fulmina teli,
Protinus incautum rabies invadit Ibera:
Scilicet infantes populos, reſidéſque, coruſcis
Inſignes plumis, ſudibus ſaxiſque minaces,
Egregiam laudem! cataphracta Hiſpania vincit.
Hinc effuſa novum Furiis immanibus Orbem
Vexat, & Occiduas exhaurit cædibus oras.
Non Regi auguſtæ reverentia Majeſtatis,
Non ſenibus pueríſve ætas, ſexúſque puellis
Præſidio fuit, aut crudelia pectora flexit.
Una ſolet rapidum ſatiare juvenca leonem.
Unguem vultur atrox agno defigit in uno:
At nullâ Hiſpani ſatiantur cæde furores.
Aggreſſi (horrendum!) Naturæ indicere Matri
Exitium, penitúſque humanam exſcindere gentem.
Indè ubi fuſca graves America vertice Soles
Excipit, ad gelidos Auſtralis limitis axes,
Per ſpatium immenſi non enarrabile tractûs,
Omnia quà licuit ferro ſublata, labore
Exhauſta immodico, aut canibus laniata cruentis.

Terra

Terra inculta ſuis luget viduata colonis:
Paſſim vaſtities; quo tandem fine vel uſu?
Proh Deus! ut rapto recubet ſecurus in auro
Hiſpanus. Satis eſt. ſtagnet jam ſanguine Terra,
Stirps hominum pereat: rectè Natura peribit,
Servet ut Hiſpanus flavam, ſua numina, lamnam.

De Tabaco.

TErribili liceat tutò me credere turbæ,
Armanti tubulis ignita micantibus ora;
Ex quibus accenſos ducens referénſque vapores,
Evomit horrificæ glomerata volumina nubis.
Talis ſulphuream volvebat cœca mephitim
Viribus Herculeis Caci diffracta caverna,
Ructantis piceo nigrantem turbine fumum,
Et fumo intortos ſinuoſis flexibus ignes.
Non is ſum, Socii, veſtri qui commoda pæri
Imminuam, madido forſan fomenta cerebro,
Fortè etiam curis delenimenta moleſtis.
Adde quòd inter vos quum controvertitur, ille
Qui causâ cadit & curtâ ratione laborat,
Fas putat occluſo tubulum preſſare labello,
Ore ciere ignes admotâ ad fictile prunâ.
Ter quater adductum toties efflare Tabacum,
Et ſinuare gravi pungentia nubila naſo,
Reſponſi ad partum dum tu Lucina vocaris.
His quanquam auxiliis non rarò infirmus hebéſque
Indigeo, fugio morbo medicamina fœta.
Notum eſt fumivomæ quæ damna tyronibus artis
Inferat, ut ſtomachum vomitu, vertigine frontem,
Alvum torminibus, tetri ſuffiminis hauſtus
Anxiet, & gelidis quatiat ſudoribus artus.
Ut geminatæ ædes oculis torpedine lippis
Subſiliant tremulum, ſpiriſque undantibus errent.

Scilicet

Scilicet iſta rudes agitant incommoda ſolos.
Aſt ego ſim rudior; illibatæque per ævum
Sint mihi radices hujus virtutis amaræ;
Non noſtri fodicet cerebri penetralia fumus
Mollia, ſana tamen, nec multo interlita muco.
An nimis obſcuri ingenii, ſed lucis amici,
Obſcurem anguſtam craſsâ fuligine ſedem!
Nempe Dei ſpeculum mentem purgare laborans,
Si ſtudeam cerebrum ſcopis everrere pæti,
Quid niſi fæce novâ veteres detergere tentem?

Nobiliſsimo Puerulo jam Poetæ.

O Mihi chara tui! O ſpirans Genitoris imago!
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,
Sic fortes animos, magnóque fidelia Regi
Pectora; ſic fatis & Muſis natus amicis,
Vix puer Aonio fingebat carmina luſu,
Infanti faciles demulcens pollice chordas.
Quàm bene proludit firmæ tener iſte Camœnæ
Impetus! ut ſenſim fortes adoleſcit in æſtus!
Igniculis patrios jam ſcintillantibus ignes;
Promittítque Patrem, toto cui concita Phœbo
Pectora, congenitum ſtimulabant carmine Martem.
Sic Linus aſſuerat, Phœbi dulciſſima proles,
Cyrrhæis jaculis Clarióque alludere plectro,
Fatidicam laurum mordere audaculus infans,
Et tremulo cytharam luſu pulſare paternam.
Euge puer, propriâ generi virtute patriſſa.
Exignóſque pedes in magnis fige Parentis
Greſſibus, hæc paſſus modò te grandire docebunt,

Et

Et sanctos pietate viros, & pectore forti
Heroas, summósque metris æquare poëtas.
Gloria sic factis surget tibi digna. Sed heus tu!
Noster amor, totum si vis renovare Parentem,
Ut nos semper ames, foveas, tueare memento.

In Abrahami Aurelii Jobum Poetica Metaphrasi explicatum.

CIvis Idumeæ quondam telluris Iobe;
Quàm bene patritium Romanâ veste Quiritem
Te facis, & lato velas tua vulnera clavo!
Mincius indigenæ cesset meminisse Maronis;
Major adest Genius, cui non vesanus Achilles
Dicitur, aut Tityri pecudes, Æneiáque arma:
Sed Deus, ipse sanctâ gravitate tremendum
Intonat, & vocis percellit fulmine mentes.
Hoc versu imperium effatur, numerósque modósque
Ipse dat, & sacri fovet instrumenta furoris.
Talibus ora modis fracta de nube coruscus
Solvit, & obscurâ vestit caligine flammas,
Terribilis quoties magnum per inane tonantes
Urget equos, volucrémque rotat super æthera currum.
Quum fremit ad tonitru fumúmque pavore volutat
Bruta licèt, nutátque suo sub pondere Tellus,
Ignibus æthra micat, properant vaga flumina retro,
Pigráque subsiliunt & Tartara consternantur.
Nec minor est quando pennis levioribus ales
Scindit iter medium, & sensim delapsus ab alto,
Fit Cœlo & Terræ ambiguus; celsúsque, humilísque,
Nunc plectri gravioris amans cytharam increpat acer,

Nunc

Nunc blando faciles demulcet pollice chordas;
Accipitri similis, qui nunc sublimis ad æthram
Scandit, finitima plumam modò librat in aura,
Et liquido molles designat in aëre gyros.
Usque idem similísque sui, non ultima primis
Carmina, non mediis currunt diversa, sed inter
Millia tot parili procedunt singula passu.
Ac veluti largos volvit per secula fluctus
Ingens Pactolus, flavísque superbit arenis;
Non secus Herous lætâ fluit aureus undâ,
Et facili longum decurrit flumine carmen.
An melior puris variare coloribus Eo?
Quum croceo surgens flores demittit ab axe.
Scilicet ætherio saturatas nectare guttas
Diffundit lachrymis, gemmísque liquentibus agros
Lætificat, summas circum pendentibus herbas,
Cœlum aperit, pluit argento, terrísque renidens
Aurea purpureo prætexit nubila limbo.
An cùm fingit equum? collo ferus ille minaci
Arduus indomitos animosi pectoris ignes
Naribus exspirat, fremitúque oculísque fatetur.
Excipit aure tubas, & ad arma superbus ad arma
Emicat, in medios ultro ruit impiger hostes,
Et furit, ingenuúmque viro stimulante furorem,
Ungula præcipitem subito rapit impete cursum.
An melior quando flentem miseratus Iobum
Solatur lachrymis lachrymas, querulúsque gementi
Aggemit, Æolio ducens suspiria versu,
Et reddit planctus, & fletibus ulcera mulcet,
Aonióque viri perfundit melle dolorem.
Salvete O docti gemitus, queis omnia cedunt,
Gaudia, vesanas œstro pungentia mentes.
Hinc procul O molles, Græcorum crimina, nugæ,
Cæcus Amor, meretrixque Venus, Satyríque, Cyclopésque,
Et nunc ille Deus Ponti nunc bellua Proteus.
Jejunæ procul hinc veterum deliria Musæ;
Cedite, divinos sapiunt hæc metra furores,
Atque merum vati spirant præcordia Numen.

Cedite

Cedite pernicies hodierni magna Papyri,
Progenies, eheu nimiùm numerosa, Poëtæ:
Frangite, si pudor est, calamos, succidite chordas,
Et lucubratos Vulcano adolete labores.
Hîc equidem appendo citharam, dulcémque furorem,
Hîc plectrum & modulos & spem depono coronæ.

Rubellioni ad Canonicas preces assiduo.

SAcris amice cantibus Rubellio,
Nostríque succentor Chori,
Cui pura nostris concolores infulis
Plumas honestat purpura,
Tu dum rotatæ proruit cumulos nivis
Boreæ protervus impetus,
Vernante cantu nostra demulces sacra,
Hiemémque Templo submoves.
Quâ te celebrem laude purpuratule?
Tuáne sub specie latet
Alatus ut tu, cantor ut tu laudium
Summi Tonantis Angelus?
Qui dum organorum concavi pulsu tonant
Ædis superbæ fornices,
Adest benignus, & favet psallentibus,
Et æmulos miscet sonos,
Alis coruscans alacre gestientibus,
Dei beatus laudibus.
Si verò avis tu & verus es rubellio;
Vestram fidem Fanatici!
Avísne ut hymnis ex fera fiat cicur,
Vos fecerint hymni feros?
Ipsáque Templo dulce concilians aves
Vos laus Dei Templo fuget?

Salvete

Salveto noſtri fida pars Collegii,
Totius exemplum Chori,
Cui non ſevero fixit ullam codice
Abſentis aut tardi notam
Præcentor acer. Sive Sol ſanctas preces
Oriens reducit aut cadens,
Medióve celſus axe, tu nunquam dees,
In æde ſubſultim ambulans.
Mox organorum pegma ſublimis petis,
Cantúque vincis organa,
Gracili & ſonorâ voce, cornicinum vicem,
Acuens gravem ſymphoniam.
At his, rubelle, pro tuis meritis pius
Spargit tibi micas puer;
Quas tu per aream, huc & illuc ſaltitans,
Sacro peracto colligas.
Tún' dum canentum certa ſtant ſtipendia,
Immunis unicus canas?

Mitiſſa.

MItiſſa celſa nobile ab Cypro genus,
Cypríque blandâ blandior felis Deâ;
Cui venera nigro illuſa pellis limite,
Ambagioſo tortili volumine,
Jaſpide nitet imbricata puriús:
Plumâ columbæ turturíſve mollior,
Tenero puellæ flore delicatior,
Pellaciórque, nequior vulpeculâ,
Qua nec pitheci geſtuoſi ſunt magis,
Qua vel ſciuri ludibundi ſunt minús.
Mihi prodeunti prodeambulas comes;
Ego geſtienti geſtiens colludere,
Cyclos ſinúſque virgulam circummovens

Deſigno

Designo, túque virgulam prehendere
Avida, in volucrem prosilis volucrior,
Citata cursu, præpes ungue, oculis micans,
Lumbo huc & illuc flexilis versatili,
Æquáque gyros & sinus cum virgula.
Domum revertor, túque mecum; vix bene
Lecturus aut scripturus assedi, statim
(Musis ministra scilicet) mensæ insilis;
Tenuíque roncho blanda te mihi affricas,
Et usque & usque, téque mulceri jubes,
Surrecta caudam rigidulam, dorso ardua,
Mox assides, notáque quid rei geram,
Tentare lusu certa quicquid movero,
Versare chartam, morsicare pennulam.
Recénsque scriptam lineam, procacula,
Tagace tristu litteram latam facis.
Talitro repressa, mœsta retrahis pedem;
Breviórque collo, pavida connives nocens
Oculos pudentes; dein remotior sedens,
Amans inanax, cui reæ fiduciam
Adimens, amorem non tamen minuit metus,
Modesta supplex figis in me lumina.
At jure Mitissa, ambigas mihi an tibi
Sit cura major integrandæ gratiæ.
Sed exi, & icta si quid irarum premis,
Mitissa, quicquid est apud me soricum
Offensioni dedo mactandum tuæ.
Hi luridi hostes, & mei & tui, meam
Iram suâ cæde expient, satient tuam.

Epistolam

Epiſtolam quam Iambo in MILTONUM *Author ſubjunxerat, per operarum noſtrarum feſtinantiam prætermiſſam, hîc exhibemus; ad paginam 36 Libelli ſecundi referendam.*

IN quod periculum me conjecerit prima hujus carminis cum *Clamore Regii ſanguinis* editio, publicâ notitiâ dignum haud exiſtimarem, niſi divini præſidii miraculum quo ſervatus ſum incolumis, communi bonorum admiratione & ſummi Liberatoris laude digniſſimum eſſet. Schedas meas ad Magnum *Salmaſium* miſeram qui eas eruditiſſimi Viri *Alexandri Mori* curæ commendavit; *Morus* Typographo tradidit, eiſque Epiſtolam ad Regem ſub Typographi nomine præfixit, oppidò eloquentiſſimam & bonæ frugis pleniſſimam. Iſtud *Mori* circa operas Typographicas ſtudium, cùm *Miltono* per Regicidarum in *Hollandia* coryceos innotuiſſet, pro comperto habuit *Miltonus Clamoris* authorem eſſe *Morum*: Unde ille *Miltoni* (ſub titulo *Defenſionis ſecundæ pro populo Anglicano*) virulentiſſimus in *Morum* libellus, cui inſuper inimicos in *Hollandia* creavit; Erant enim tunc temporis Anglicani Tyranni extra ſua pomœria maximè formidati. Spectabam interea tacitus, nec ſine lento riſu, fœtum meum ad alienas fores expoſitum; & cœcum atque furioſum *Miltonum* Andabatarum more pugnantem & ἀερομαχοῦντα. à quo feriretur & quem contra feriret ignarum. At *Morus*, tantæ invidiæ impar, in Regia cauſa frigere cœpit, & *Clamoris* Authorem *Miltono* indicavit. Enimvero in ſua ad *Miltoni* maledicta reſponſione, duos adhibuit teſtes, præcipuæ apud perduelles fidei, qui Authorem probè nôſſent, & rogati poſſent revelare. Unde ſanè mihi & capiti meo certiſſimum impendebat exitium. At magnus ille juſtitiæ vindex, cui & hanc operam & hoc caput libens de-

 voveram,

voveram, per *Miltoni* ſuperbiam ſalutem meam aſſeruit; ut ejus ſapientiæ ſolemne eſt ex malis bona, ex tenebris lucem elicere. *Miltonus* enim qui plenis caninæ eloquentiæ velis in *Morum* invectus fuerat, quique id ferme unicum *Defenſionis ſecundæ* ſuæ fecerat argumentum, ut *Mori* vitam atque famam laceraret; adduci nunquam potuit ut ſe tam craſſè hallucinatum eſſe fateretur. Scilicet metuens nè cæcitati ejus populus illuderet, eúmque comparārent Grammaticorum pueri Catulo illi cæco apud *Juvenalem* qui piſcem *Domitiano* donatum laudaturus

plurima dixit
In lævum converſus, at illi dextra jacebat
Bellua.

Perſeverante igitur *Miltono* totum illud periculoſi in Regem amoris crimen *Moro* impingere, non poterant cæteri perduelles ſine magna boni patroni ſui injuria alium à *Moro* tanti criminis reum peragere. Cúmque *Miltonus* me ſalvum eſſe mallet quàm ſe ridiculum, hoc operæ meæ præmium tuli, ut *Miltonum* quem inclementiùs acceperam haberem patronum, & capitis mei ſedulum ὑφασπιστὴν. Parce riſu, Lector; & Deo Liberatori, Optimo, Maximo, & Sapientiſſimo, ſummas mecum gratias age.

Schola

Schola Naturæ.

Juvenilis ista prosa oratio inter Poëmata locum teneto.

QUàm ægrè à vobis avellor dulces agri, mitissimum cœlum, hospitales umbræ, herbosi colles, rivi purissimi! Apud vos diem innocuam condidi, aërem vernum spiravi, & oculis in suavissima varietate oberrantibus, penè mei oblitus, in vestris hæsi deliciis. Sic planè hæream vobiscum ut vos sequar, & eum ad quem ducitis assequar. O Naturæ Author atque finis, fac nobis istas salutares delicias. Huic quid sibi vult hæc luxuriantis Naturæ pellacia, ista Terræ Matris in hac senectute juvenilitas ad puellarum morem comptæ, nitidæ & sertis redimitæ? An ut stultorum animos pascat nihil nisi oculis videntium?

Imò librum, O homo, tibi aperit Natura. In eo quot flosculi, quot graminum fila, quot roris gemmulæ, totidem literæ: Rerum creatarum inter se nexu literæ in dictiones coeunt, tempestatum vicibus in periodos. Quin & in singulis literis sensus est integer. Non vides quàm perfecta sint singula, & sibi sufficiant? Et tibi quoque, modò ad eas purgatum animum adhibeas. Aspicis instructissimam Naturæ supellectilem? Tota tua est. Tu cujus? Ex eo quod accipis disce quid debeas. Nimirum tu tanti es cui Cœli in perpetuum gyrum se cogant, Sidera suos influxus immittant, Plantæ & animalia suo famulentur interitu? An idcirco magnus ille aureæ lucis & caloris vivifici promus, dierum & noctium, æstatum & hiemum status vicissitudines attemperat, & vaporum subinde ascendentium & descendentium dispensat alternationes, ut tibi uni ministret, & approbatione tuâ sese beet? Heus tu, non tu es rerum finis sed medium, per quod ad Deum à quo fluxerunt recurrant; & (quod in solemnibus divitum epulis usu venit) non te Deus magnificentiæ suæ arbitrum sed testem advocat; nec ad convivarum saginam,

ſed patrisfamiliâs laudem, ſuam menſam tot ferculis inſtruſt. Non habes Naturæ dominium, ſed uſum. At quem uſum? Ut Naturâ duce ad Deum iter ingrediaris, Naturæ Parentem agnoſcas etiam tuum, ejus liberalitatem laudes, ſapientiam mireris, amorem amplectaris. Neque verò te per longas ambages ad Deum Natura ducit; Gramini Sol & pluviæ ſerviunt, Gramen pecori, Iſtud tibi, Tu ſi Deo, tunc in catena aurea quâ Cœlum Terræ copulatur primum annulum facis. Tunc in ſummis divinæ ſcalæ gradibus ſtas ubi te decet, Numini proximus: Tunc Orator es Univerſi; Et quia rerum creatarum ſolus loqueris & intelligis, omnia creata ore tuo Creatori laudis tributum pendunt, omnia mente tuâ Authori ſuo religantur.

At ſi æthram nunquam oculis notas niſi ut pluvias & ſerenum augureris, Si ſtellis terminatur tua in Cœlum ſuſpectio, & vaporum inſtar nunquam ſurſum niteris niſi ut craſſior deſcendas, habes in ſtatione tua quod te deprimat; Enimvero ſi Dei amorem & meditationem tollis, non eſt cur ſupra belluas, concives tuas, temet attollas; Illis ut tibi Sol oritur & ſtillant nebulæ: Illis Terra viret, floret, & bonam copiam toto cornu profundit, ſídque nullo ſudore rigata, nullis vomeribus violata. Illis præſtò eſt Naturæ major indulgentia, vires magìs ingenuæ, ſalubrius corpus, ſecurior quies, veſtis nativa & nunquam detrita, quam tu egenus ipſis diripis ut earum veſtiaris exuviis. Hoc uno bruta ſuperas quòd Deum amas & meditaris, cætera infimis magìs infimus. Tu igitur amore, tu contemplatione ſurſum nitere; Iſtud potes etiam dum deorſum ſpectas; Videre eſt humi cœleſtem ſapientiam, & ad cujus radians jubar caligant ſuſpicientium oculi, imaginem in inferioribus ſpeculis, inconniventibus palpebris contuemur.

Id verò à te poſtulat Deus, ſive æquum eſt rogat. Id clamant ejus opera. Vult in illis aſpici, ſed veris oculis, Dei ſapientiam, magnitudinem, bonitatem, etiam extra commoda noſtra metientibus. Si in erucas incidis aut limaces viridaria tua corrodentes, non eſt cur in damnum tuum magìs oculos intendas quàm in Naturæ induſtriam in ultimorum animalium tergoribus vermiculato opere ludentis. Etiam

quod

quod proculcas licet admirari, & eum rerum ordinem laudare in quo id etiam ornat quod nocet.

Quum pecudes tuas recenſes, non feciſti ſatis huic meditationis debito, ſi tantùm perputas quantum tibi lanæ hoc Junio, quot agni horni, quàm pulli trimi adoleverint feroculi, quàm opimi juvenci, & quanti proximis nundinis futuri. Nec agros tuos ità circumſpicere ſufficit ut jugera cum modiis metiaris. Iſtud te dignius ſic tecum reputare: Mihi hæc omnia virgulâ divinâ ſuppeditantur affatim, mihi præſtant quod mihi non debent, egóne Deo negem quod debeo? & Dei operum cum Deo vinculum in me abrumpi ſinam? Egóne qui pro omnibus Deo ſum obæratus Deo reddam nihil? Quid verò reddam Deo? ad eum officia mea non perveniunt, nec ei poteſt quidquam rependi qui omnia poſſidet. At ſi non potes dare, potes rectè accipere, accepta referre, datis gratus & lætus frui, eſſe divinorum beneficiorum diſcipulus beneficus.

Noli putare hæc Tempe mera eſſe ambulacra. Scholam vides, imò Templum. Delectaris iſtâ ſimpuli garrulitate inter diſcolores lapillos trepidantis? Non ideo datur ut ejus murmur tibi in ripâ temere jacenti ſomnum conciliet. Præſtat majus delectamento documentum. Perennis iſte curſus qui per cataractas, ambages & perplexos errores viam tandem ſibi facit ad Oceanum. Iſte inquam te docet ut non ante quieſcas in tuæ pietatis contentione quàm ad ingens illud Divinitatis pelagus pervenias, & ab eo abſorbearis ultimùm; Nec viam tibi intercludant aut multiplices vitæ mæandri, aut negotiorum moles, aut calamitatum præcipitia.

Et quemadmodum cœli facies cærulea nonniſi in limpida & placida aqua ſpectatur, ſic tranquilla duntaxat ingenia cœleſtem colorem referunt. non turbida cupidinibus & vitiis lutulenta.

Si diluculo expergiſceris & foràs prodis præſtò eſt diligentiæ tuæ præmium, primum omnium ſpectaculum; Sol oriens inter mille colorum diſcrimina, & primulis radiorum ſtricturis inter roris globulos renidens quibus ſumma herbularum folia acuminantur. Dum miraris ſupra illuſarum nu-

bium emblemata, infra variè micantes gemmulas verſicolorum nebularum æmulas, Ecquid ſubit tibi pomparum regiarum contemptus, & ſumptuoſæ Venerum noſtrarum vanitatis, Seras & Indos margaritis exſpoliantium? Quàm nihil ſunt illa aſcititia & longè petita ad ſpontaneam iſtam & ſubitaneam gloriam! Hui! quantillum eſt quod in rebus humanis miramur, dum veram admirationis materiam inſuper habemus!

Quid ſingula perſequar? Per omnia Dei & tui admonetor. Si lucum ingrederis, ejus venerabilis horror tibi præſentiam Numinis incutiat. Si prati luxuriem calcas, cogita quàm multa ambulans teras quorum naturam mente non potes aſſequi. Canoras avicularum minuritiones totidem Hymnos puta quos Deo Creatori pangunt Sacerdotes minutuli. Si in nidum incidis, admirare pudibundus in ave naturalem induſtriam, quam nos, omnium ſcilicet *artium Magiſtri*, nec arte æquamus, nec cogitatione indipiſcimur. Lilia tam ſplendidè amicta, quæ neque nent neque texunt; Feræ victum nunquam providentes, ſemper invenientes, tuam condemnent avaritiam, animum de futuro anxium, de Dei amore ſemper vigili, heu! nimium ſæpe dubitantem.

Denique ſic cogita, Agreſtes hæ deliciæ, hi floridi tapetes, viridis iſte nitor intra paucos menſes hiemis rigore intercident. Sic hæc vita, hoc robur, hæc aura fortunæ, ærumnis, ſenectute, morte, ſeriùs ocyùs contabeſcent. Quare dum per tempeſtatem licet bonam frugem in noſtra horrea maturemus congerere, & ante hiemem ſerere quod poſtmodum beati metamus, quando ipſi Dei meſſis erimus, in cœleſtibus granariis reponenda.

Villa

Villa Cambrica.

Iſte eſt juvenilis luſus, & proſa carmine magis poëtica.

IN agreſtiſſimis *Cambriæ* montoſæ receſſibus mea fortuna ſe condidit, ibique loca mihi delegit adeò ſenta ſitu, adeò horrida, adeò ſquallida, ut eò nè Fortunam quidem quiſquam ad ſocietatem natus aut dignetur ſequi aut auſit. Solum tenue, ſteriles arenæ, quanquam ſub cœlo continuis imbribus fœdo ſemper aridæ: Montes adeò macri ut nudata oſſa paſſim exerant; Quæ quidem terreâ cute olim veſtita fuiſſe mihi fit veriſimile, ſed juges pluviæ dilutam ad ima ſecum devolverunt. Rupes præruptæ per ſinuoſam graduum ſeriem faſtigiatim attolluntur. Inter hos gradus capellas & equos capellis aliquanto majores dubium errare dixeris an pendere. Unde paſcantur vix concipio, & ipſi vix inveniunt: Sanè ubi lapis per rimas dehiſcit ſuccreſcunt rubi, tribuli, & raræ herbulæ, quæ jejuni pecoris famem protrahant non ſatient. In præruptiſſima rupium crepidine erumpunt breviculæ arbores ſemipendulæ, deorſum ſemper ruituris ſimiles; Ipſæ ex ſoli ingenio infelices, curvæ, retorridæ, colono nihil offerentes niſi ſuſpendium. Infra vallis anguſta, & ipſa montoſa, inter cujus tumulos vix alveum ſibi fecit torrens qui per ſilices mutuo attritu lævigatos multa cum ſpuma & fragore ſeſe præcipitat. Torrenti imminet clivus brevis, & clivo impoſita eminet ædes ruſticana quam rivus plenior & placidior alluit, & impetui ſuo, quaſi ad Religionis reverentiam, quietem & ſilentium videtur imperare. Unum aut alterum ſtadium inde progreſſus à voragine abſorbetur, & ad quartum lapidem rurſus prodit, ſed largior, nè fruſtrà ſeſe condidiſſe videatur.

Contra ædem in adverſa ripa aperit ſe vaſto hiatu caverna ingens, popularibus fabulis nobilis cujus intima ſpatia nullus ad hanc diem penetravit; Tum quia viator in inhoſpitali iti-

nere nullum invenit operæ ſuæ pretium, Tum quia craſſus & fæculentus aër convenientem reſpirantibus animam non præbet. Præterea inutilem viam intercludunt flumina, & ingentes lacus inundant, & ſubitæ voragines abrumpunt. Modicùm in interiora progreſſis ſpecus in innumeras vias finditur, quarum perplexis ambagibus non tutum eſt ſine *Ariadnes* filo ſeſe committere. At paulò penitiùs introgreſſis pavor curioſitatem excutit, adeò quidquid tetigeris ſordidum, quidquid calcaveris ſcabrum, quidquid audiveris ſtupendum, quicquid ad lucernam videris horridum eſt. Spatia perpetuo lapide camerantur. Humorem ſumma caverna exſudat, ut & latera quæ prætentantium manus lentâ & viſcoſâ uligine inficiunt. Solum ſub pedibus confragoſum, in cujus ſalebris nemo abſque ſcipione rectus poteſt conſiſtere, niſi cacodæmonis inſtar pedes habeat multifidos. At omnium maximè formidabilis eſt fragor magno agmine decurrentium fluviorum, & quibuſdam in locis quaſi jam ſub pedibus ebullantium. Meatus anguſti in ampla ſpatia ſubitò laxantur, in quibus Senatum habere putantur mali Dæmones, in aliis etiam forum & nundinas. Sed quidquid fabulentur indigenæ, equidem certus ſum Horrorem, Noctem, Inopiam, & Ovidianam Famem, malos ſi quiquam Dæmones ibi ſtabulari: Qui nè indè unquam ad ſuperos migrent, mihi conſilium eſt os cavernæ obturare, & ſic viciniæ conſulere, cujus pecudes quando illuc ſe ab imbre recipiunt nonnunquam deſiderantur, cauſantibus abactoribus terrenorum Lemurum inſidias, & Diaboli criminantibus innocentiam. Sed jam inferos relinquo, & agros meos circumſpiciens, vix quidquam graminis hoc anni conſpicor, adeò ver tardum in has partes devenit. Enimvero ver nobis non poteſt ante *Junium* intepeſcere, quibus Aurora paulò ante Meridiem exoritur. Eam enim montium coronam circum me habeo quam Sol in noſtro Tropico vixdum ſuperat, inter rupium flexuoſas anguſtias quaſi ſuffuratos radios obiter inſinuans, nec multò poſt occidit. Hui! hoccine frigus, hæ cautes, hæ tenebræ mihi potiundæ obtigerunt? O poëticam felicitatem! & quiſquam voluerit in hæc inhoſpita teſqua Fortunam ſequi? At ego Fortunam illuc ideo ſequor ut indè avehar. Hæc ſanè

loca

loca tam miſera, tam ſola, tam horrida, huic corpuſculo quod ſatis eſt miniſtrant; Hinc mihi abundè ſuppetit unde in ſtrenuo otio philoſopher, & in cultiſſima civitate ſolitudines meas tantùm deſcribam.

Commentatio in hæc verba C. Taciti ANNAL. VI.

POPPÆUS SABINUS *principum amicitiâ Conſulatum ac triumphale decus adeptus, maximiſque provinciis per quatuor & viginti annos impoſitus, nullam ob eximiam artem, ſed quòd par negotiis, neque ſuprà erat.*

IN uno exemplo habemus quid in Aulâ ſoleat, & quid expectiat.

Solent magnis provinciis imponi non magna & excelſa ingenia, ſed negotiis ſolùm & ægrè paria. Si enim Princeps verſutus ſit & magnus artifex, qualis *Auguſtus* aut *Tiberius*, procul habet magnarum artium homines, quia vult ſua ſibi habere conſilia; & omnes oculos ſedulò amovet qui in ejus animum poſſint deſcendere. Cúmque omnia ſolus adminiſtrare velit, & poſſe putet, ſufficiunt ei miniſtri qui tantum norint quantum exequantur, non ultra; quia non facilè intra

tra angusti obsequii metas cohibentur spiritus suâ. magnitudine inquieti & agendi avidi.

Si verò Princeps est meticulosus & pusilli ingenii, non patitur circa se eximiarum artium viros, quia impar; & quos suspicit etiam suspectat, quidquid supra se est existimans plenum periculi.

Sed quocunque tandem fine Principes sibi deligant ingenia modica, equidem commodè in commune sic consultum existimo. Si enim in Principis amicitiam admittatur ingenium magni nominis, aut Dominum pro libito regit, aut à populo regiis amicitiis semper infenso regere creditur, quâ opinione nihil æquè rem & existimationem Principis lædit, & seditionibus latiorem portam aperit.

Minùs tamen à tali homine est periculi si Regis amicitiâ contentus otium eligat, Magis si ullam partem Reip. attigerit: Sunt enim ut plurimùm magna ingenia famæ atque potentiæ famelica, & in rebus gerendis id magis contendunt ut ostendant quid ingenio & gratiâ possint quàm quid maximè conducat. Non primarii Ministri magno animo, sed prudente consilio & sedulo obsequio pax regni constat: Nec qui mala jussi faciunt adeò sunt noxii, quàm qui bona nimis bene, & Principis atque Senatûs consilia multiplici sapientiâ ità interpolant ut faciant sua.

Quid quod officium sibi attributum nunquam strenuè præstabit qui negotia habet sibi imparia, eáque tanquam se indigna & infra se posita despectat. Cujus rei triste experimentum dedit *Verulamius*, cujus mirata est *Anglia* in summa sapientia & eruditione summam rerum gerendarum supinitatem, quam suæ rapacitati prætendebant nequissimi famuli. Nempe vir ingeniorum suo ævo Princeps, qui universam rerum scientiam vasto animo circumplectebatur, sese nunquam mancipare potuit negotiis, quanquam magnæ fortunæ, minimis tamen, & mole non pondere difficillimis.

Perperam magna vocamus negotia quæ molem regni sustinent. Sunt quidem magni momenti & laboris, fortè etiam splendoris & emolumenti; Sed nulla occupatio verè magna est cujus est humilis theoria: Nec plurima munera, quibus salus regni constat, sublimem, sed fidam & patientem animam postulant.

poſtulant. Quemadmodum enim iidem affectus agitant gigantem & nanum, ſic publica & privata negotia iiſdem artibus geruntur, nec quæſtura fiſci aut ærarii aliter ſupputatur quàm domeſticæ mercatorum rationes.

Sanè ſi excipis ſummæ rerum regimen, quod animos primæ capacitatis poſtulat, qui quaſi Atlantes robuſtiſſimi Imperii Orbem ſuſtentent; vix ullum in Aula munus excelſum poſcit ingenium. Aulicus peritus eſto in Principis ſtudiis, & Aulæ moribus. Noverit quibus viribus polleat regnum, quibus morbis laboret; Quid velint, quid poſſint vicini: Quo pacto ſpartam quæ ſibi obtigit & tueatur & ornet; Eſto tædii & laboris patiens, in convictu facilis, in negotiis non acutus ſed induſtrius, Et cauto temperamento æmulationem aut devitet alienam aut occultet ſuam.

Has artes quivis attigerit uſu, niſi planè aſperis moribus & lævo ingenio, & in Aula educatum aut diutius verſatum ſequentur non accerſitæ.

Et profectò reputanti mihi quàm tenue & levidenſe illud eſt quod aulicam virtutem conſtituit, non modò Principem laudare libet qui à magnis ingeniis abſtinet, ſed & generoſas & eruditas mentes increpare ſi eas unquam aulici muneris cupido inceſſerit; Maximè ſi ejus ſortis fuerint cui minùs neceſſe ſit ad ambitioſa aſpirare. Quantumvis enim magni muneris ſplendor perſtringat oculos, certum eſt magni ingenii felicitatem in rerum optimarum & excelſiſſimarum contemplatione ſitam eſſe, quam prorſus ejurare cogitur qui vitam aulicam vivit.

O nè nimiùm inclareſcant ingentes animæ! Nè Proceribus plùs ſatis notæ ſervili magnitudine violare jubeantur beatam contemplationem, divinum otium, & Cœlo admotam mentem, & ſemet ad indigna ſuâ celſitudine negotia detrudere! Bene eſt quod à noſtris Aulicis nihil iſtiuſmodi periculi imminet eximiis animabus; & per eos magnis viris licet vivere obſcuris & beatis.

Elenchus

Elenchus Poematum.

Liber Primus qui eſt Hymnorum in Symbolum Apoſtolorum.

HYmnus I. *Credo in Deum Patrem &c.* Pag. 1
Hymnus II. *Creatorem Cœli & Terræ* p. 6
Hymnus III. *Et in Jeſum Chriſtum &c.* p. 14
Hymnus IV. *Qui conceptus eſt &c.* p. 20
Hymnus V. *Paſſus eſt &c.* p. 25
Hymnus VI. *Sepultus* p. 31
Hymnus VII. *Deſcendit ad Inferos* p. 35
Hymnus VIII. *Tertiâ die reſurrexit &c.* p. 38
Hymnus IX. *Indè venturus ut judicet &c.* p. 42
Hymnus X. *Credo in Spiritum Sanct.* p. 46
Hymnus XI. *Sanctam Eccleſiam Catholicam* p. 51
Hymnus XII. *Remiſſionem peccatorum* p. 56
Hymnus XIII. *Reſurrectionem carnis & vitam æternam* p. 62

Liber II.

Eccleſiæ Gemitus.

METrum I. pag. 1
Metrum II. p. 6
Metrum III. p. 12
Metrum IV. p. 21
Magni Manes p. 30.
Magno Salmaſio p. 33.

In

Elenchus Poematum.

In Johannem Miltonum p. 36
In Zelotas Rebelles p. 43
Epicediũ Comitis Cumbriæ p. 45
Nobilissimo Puero p. 48

Liber III.

Sylva Variorum.

Paraphrasis Psalmi Super flumine Babylonis pag. 1
Christiana felicitas p. 4.
Arx mea Deus p. 5
Naturæ fanum p. 7
Est Deus in nobis p. 8
Schola Morbi p. 11.
Thyrsis p. 14
Livia p. 23
Serena p. 32
Votum pro Serena p. 37
Temporis & vitæ flumen p. 40
Sponsæ lapsus & pœnitentia p. 42
Reditus ad Deum p. 46
Alere matrem Christi p. 48
Deo Liberatori Sacrum p. 52
Quid retribuam Domino p 56
Aula Somnium p. 57
Ps. xliii. *Judica me Deus* p. 60
Lucidum intervallũ p. 61
In Deo tutus p. 62
In Deo fortis p. 63
In Deo quies p. 65
Deus amoris in iræ memor p. 66
Orate pro pace Jerusalem p. 68
Summum nec metuas diem nec optes p. 69
Ps. xcviii. *Cantate Domino Canticum* p. 71
Terræ Gemitus p. 73
Sponsa mittit ad Sponsum p. 76
Sponsus mittit ad Sponsam p. 77
Beatus Domine quem tibi admoves p. 79
Sursum corda p. 80

Velle

Elenchus Poematum.

Velle quod vult Deus p. 81
Mentis Serenum p. 82
Pacis cœlestis anticipatio p. 83
Senectuti gratulatur 84
Pietas florida p. 85
Anima pia thronus Dei p. 87
Pia tranquillitas Dei speculum p. 88
Quantum est quod nescimus p. 90
Spectacula Cœli p. 92
Quis me liberabit p. 94
Χειρια p. 96
Sacer Anteros p. 97
Sursum niti p. 98
Spes humanæ p. 100
Spes Cœlestis p. 103
Fiat voluntas tua p. 105
EPIGRAMMATA p. 106
Clifforda nobilitas. p. 117
CAROLO *Baroni Clifordo* p. 119
D. Ricardi Boyle Epitaphium p. 121
Annæ Bariæ Encomium p. 122
Doctissimo Jano Flitio p. 125
Joh. Castilioni meo. Regis Sacellano p. 126
Epicedium Reverendissimi Guil. Juxoni Archiepisc. Cantuar. &c. p. 128
In Magni Bocharti historiam Animalium p. 130
Hispanorum Peruanæ victoriæ p. 133
De Tabaco p. 134
Nobilissimo Puerulo jam Poetæ p. 135
In Abrah. Aurelii Jobum Poeticâ metaphrasi explicatum p. 136
Rubellioni ad Canonicas preces assiduo p. 138
Mitissa p. 139
Epistola in Miltonum p. 141
Scholâ Naturæ p. 143
Villa Cambrica. p. 147
Commentatio in hac verba C. Taciti Annal. Poppæus &c. p. 149

FINIS.